NAZ.
IN

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
A
25
NAPOLI

4. 25.

Digitized by Google

Digitized by Google

M. JOHANNIS TEPELII, P. L. C.

HISTORIA PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.

NORIMBERGÆ.
Apud JOHANNIS ANDREÆ & WOLFGANGI ENDTERI JUNIORIS HÆREDES.
ANNO M. DC. LXXIV.

B. R. NEAPOLIS
BIBLIOTECA NAZIONALE V. EMANUELE III

Digitized by Google

Sereniſſimi & Celſiſſimi Principis ac Domini,

DOMINI

CHRISTIAN-ERNESTI,

Marchionis Brandenburgenſis, Magdeburgenſium, Pruſſorum, Stetinenſium, Pomeranorum, Caſſubiorum, Vandalorum, ut & Sileſiorum, Croſſenſium, & Jägerndorfenſium Ducis, Burggravii Noribergenſis, Principis Halberſtadenſium, Mindenſium, & Caminenſium, &c.

Principis & Domini mei Clementiſſimi,

Nutritii mei benigniſſimi, illuſtriſſimo

CONSISTORIO,

VIRIS,

Generoſo, Nobiliſſimo, & Strenuiſſimo

DOMINO

JOH. CHRISTOPHORO

à Pühel/

Hæreditario in Dölau/Burg-haig/ Laineck/ & Jtzdorff/ JCto, Com. Palat. Cæſar. Conſiliario Intimo, Feudorum Præpoſito, Conſiſtorii Præſidi, ut & ad S.R.I. Comitia Legato eminentiſſimo.

Patrono & Promotori meo colendiſſimo:

Reverendiſsimo, Nobiliſsimo, & Strenuiſſimo

DOMINO

CASPARO à Lilien/

Hæreditario in Kraunitz & Waitzdorff / etc. Doctori Theologo Conſummatiſſimo, Com. Palat. Cæſar. Conſiliario Eccleſiaſtico Intimo, Sereniſs. Aulæ Concionatori Supremo, Marchionatus Brandb. Superioris Generali Superintendenti, Conſiſtorii Vice-Præſidi, & Illuſtriſs. Colleg. Directori,

Mecœnati meo Optumo, Promotori ſtudiorum meorum certiſſimo:

Plurimùm Reverendo, Ampliſſimo, & Excellentiſſimo

DOMINO

M. GEORG-FRIDERICO

Pertſchen/

Theologo merentiſſimo, Superintendenti Speciali, & Conſiſtorii Aſſeſſori graviſſimo,

Patrono, Promotori, & Evergetæ meo multis nominibus devenerando:

Plu-

Plurimùm Reverendo, Ampliſsimo, & Excellentiſsimo

DOMINO

JOHANNI JACOBO

Steinhoffern/

S. S. Theol. Licent. Concionatori Aulico, & Conſiſtorii Aſſeſſori,

Patrono meo deſideratiſsimo:

Nobili & Amplißimo

DOMINO

LAURENTIO Haßfürtern

Not. Cæſ. Publ. Secretario Conſiſtorii Spectatiſſimo:

Fautori meo ſingulariter ſuſpiciendo:

Salu-

Google

Salutem, Sanitatem, Pacem, omnemq; Felicitatem!

QUanquam una tantùm ſit variarum rerum, quæ partim ignorantiæ ſpiſſitudine obtenebratum intellectum illuſtrat, partim affectuum ferocia effrenem voluntatem temperat, notitia, eaque ratione *eſſentiæ* ſuæ æterna maneat & incorrupta; fieri tamen videmus, ut omni ævo, &

veteri, & moderno, tot ferè *exi-ſtant* Philoſophiæ, quot Philoſophi, tot placita, quot capita. Non recenſebo *Aſſyriorum* & *Babyloniorum*, primorum, qui unquam Philoſophiæ nomine claruerunt, populorum, BELUM, rerum Aſtronomicarum callentiſſimum, & ab ipſo conſtitutos in Collegio Aſtronomico Doctores FLAMINES, ſeu, quos gentilitio vocabulo vocant, CHALDÆOS. Non nominabo Ægyptiorum, qui ob ſingularem in artibus reperiendis ſolertiam, óbve miram in cognitione rerum indagandarum ſagacitatem, omnium diſciplinarum Philoſophicarum parentes ſalutari ſolent, PROPHE-

TAS,

TAS, vel, quòd ex Aſtrologia & ſacrorum inſpectione futura divinabant, HIEROPHANTAS. Non commemorabo *Perſarum* MAGOS, *Indorum* GYMNOSOPHISTAS, *Gallorum* DRUIDAS, *Phœnicum* OCHUM, *Thracum* ZAMOLXIM, *Libycorum* ATLANTEM, cæterarumque gentium & nationum familias Philoſophicas. Duas tantùm palmarias ſectas adducam, JONICAM & ITALICAM, ex quibus, veluti ex biga equorum Trojanorum, ACADEMICA, PERIPATETICA, STOICA, EPICUREA, PYRRHONICA, & aliæ forſan plures, nunc

penè omnes, exceptâ PERIPATETICA, & temporum & dogmatum ærugine obfuſcatæ, proſilierunt. Noſtrum ſi penſitamus ſeculum, *quatuor* (ſi PETRI RAMI ramulos ſteriles detruncamus) HYPOTHESES, ſeu modos deducendorum ad ſuas cauſas Phænomenorum, præ cæteris in orbe noſtro literario vigere, dictavit olim in *Phyſica ſua Nov-Antiquâ*, acutiſſimus Philoſophus, JOHANN-CHRISTOPHORUS Sturm / Præceptor honoratiſſimus. *Prima*, quæ ſola ſuperioribus temporibus regnavit, hodiè verò à multis deſerta, plures alibi, alibi pauciores habet defenſores, eſt ARISTOTELI-

CA,

CA, cui nomen dedit ARISTOTELES, Stagirâ-Græcus, ALEXANDRI Magni per decennium Præceptor, Philoſophus, LAERTIO teſte, γνησιώτατος τῦ πλάτωνος μαθητῶν, & AVERROE dicente, nullius erroris convictus, usq; ad hoc tempus, quod eſt mille & quingentorum annorum; at juxta JOHANN-BAPTISTAM VAN HELMONT, Medicum & Philoſophum in Batavia, Naturæ prorſus ignarus, &, quod CARDANUS ait, ad eorum, quæ in Natura ſunt, arcanorum doctrinam, naturalemque diſciplinam minimus, & omninò quaſi nullus. *Altera* HYPOTHESIS audit GASSEN-

DICA, dicta non quidem ab inventore, ſed reſtauratore, PETRO GASSENDO, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſito, & in Academia Pariſienſi Matheſeos Profeſſore Regio, viro, quantumvis humili & loco & genere nato, ob ſolidam tamen eruditionem & ſingularem modeſtiam, celeberrimo, cujus Philoſophia non tantùm binos antiquiſſimos Philoſophos, DEMOCRITUM & EPICURUM, habet autores, ſed etiam adhuc in Gallia & Germania plures numerat baſiatores & propugnatores. *Tertia* HYPOTHESIS eſt CHYMICA ſive SPAGYRICA, quæ ab Alchymiſtarum turba proponitur, à mul-

à multis ob inæſtimabilem utilitatem & nobilitatem omnibus præfertur,& pluribus Philoſophis, SPERLINGIO, KIRCHERO, BASSONI, BOYLEO, etſi inſufficiens ad omnia explicanda phænomena, quoad multa tamen,bona&accommoda videtur. *Ultimam* nunc per Galliam, Angliam, Hollandiam, Germaniæque loca non pauca, maximè famigeratam, conſtituimus CARTESIANAM, cujus Philoſophiæ HISTORIAM, quantum de ea quidem mihi conſtat, planam facere, totq; volumina Scriptorum Carteſianorum, plurimam partem in Batavia vel in Hollandia typis excuſa, adeòque non cuivis Stu-

Studioſo in Germania, aut ob rigorem pretii, aut ob omnimodum defectum, parabilia, in compendium redigere, me jucunditas allicit, utilitas monet, & quædam ſinceræ, avidæq; diſcendi mentes extimulant.

Obligatus verò fui, ad conſecrandum Vobis, Proceres Ampliſſimi, hunc tractatum, eò quod exilem meam perſonam, per decem jam annos, variis in locis, in Gymnaſio HEILSBRONNENSI, in illuſtriſſimo Collegio CHRISTIAN-ERNESTINO, in Academia ALTDORFINA, GISSENA, & inclutâ hâc TUBIN-

BINGENSI, tot favoribus, tot benevolentiis, tot beneficiis, tamque magnis, amplexi eſtis, inprimis quod binos digniſſimos Dominos, *Superintendentes*, *Generalem* illum, hunc *Specialem*, attinet, ut umbra tantùm eſſet; quicquid reponere vellem. Cum ergò omnes omnes omninò mihi corporis deſint vires, accipite ſubmiſſas animi grates: ex defectu facultatis, cognoſcite promtitudinem voluntatis: & ſic ut hactenus, ita inpoſterum, tum ſcriptum hoc, tum totam ſtudiorum meorum rationem, Proceres Ampliſſimi, commendatam ſervate. Deus meus, Deus fortitudinis, Vobis

eam, quam in frontiſpicio apprecatus ſum, det ſanitatem, ſalutem, pacem, omnemq; felicitatem, & quos quotidiè Vobis exopto, longævos annos. Scribebam Tubingæ, An. 1674.

VVVVV: Generoſ. Reverendisſ. Dignit. Excell. & Amplitud.

Subjectiſſimus & Obſervantiſſimus

M. Joh. Tepelius, Cæſ. Cor. P. Stip. Brand.

CEN-

CENSURA
&
APPROBATIO
Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ
TUBINGENSIS.

S*Piritu vertiginis ducti ſurrexerunt nuper, qui cùm licentioſè hæreticorum catervas in orthodoxam meſſem impunè graſſari, ſophiſmatumq; ſpiculis animos veritatis cupidos avertere deprehenderent,*

Digitized by Google

derent, eò opinionis falſæ abripiebantur, profundè philoſophantium caſtris hoc vitii imputandum eſſe. Unde inſultus hoſtiles experiri cogebatur diſciplinarum aquila, primæ Philoſophiæ encomio clara, quam tum curioſæ ſubtilitatis, tum odioſæ difficultatis nomine ſuſpectam reddere allaborabant, acerbè invehentes in Coryphæi Philoſophorum quatuordecim μετὰ τὰ φυσικὰ *libros, quos logicarum tavtologiarum cumulos appellitare abſurdè conſueverant. Licet itaque veritatis philoſophicæ fulgore ante colluſtrati venerandum illud naturæ lumen amplexu foverent amico, nunc temporis tamen otio,*

ſupi-

ſupinitate , *&* *flagitioſa licentia marcentes in ignorantiæ gurgites præcipites facti* , *humi ſerpunt & ruſtico Luciani* (judicio Scaligeri) *ligone philoſophantes*, *lumen naturæ divinum turpiter deſerunt*. *A quibus tamen*, *uti complures divortium fecerunt*, *ſic omninò longiſſimo ſententiæ intervallo diſſidet*, Eruditione, Ingenio, Probitate, *&* Candore *clarus & conſpicuus Dominus JOHANNES TEPELIUS*, *Magiſter noſtrâs*, *qui cum relictis florentiſſimi faſtigii* Giſſenſium *&* Noricorum *Univerſitatibus*, *huc* Eberhardinam *celebratiſſimam ante annuum jam ferè ſpacium conceſſiſſet*, *adeò*

lau-

Digitized by Google

laudabiliter inter nos non ſolùm transegit, ſed & in Philoſophiæ ſtudio tantos tamque laudabiles progreſſus fecit, ut non ſine ſingulari laude ſummos in Philoſophia honores conſequeretur. Quemadmodum ergò eò faſtigii feliciter aſcendit, ſic operæ id dare non erubuit, ut feliciſſimi Magiſtri tueretur nomen, unde Tractatum, Hiſtoriam progreſſum Philoſophiæ Carteſianæ *exhibentem elaborare non ſuperſedens, Cenſuræ Collegii noſtri Philoſophici ſubmittendum prudenter ſecum ſtatuebat. Cùm verò nil nævorum veritatem lædentium in pertexta ejusmodi relatione Hiſtorica deprehendiſſet Facul-*

cultas noſtra, licentiam typis commendandi quin concederet eidem haut potuit. Quod nomine Collegii noſtri publicè atteſtari debuit voluitq; lubens

JOHANNES GRAFT,
S.S. Theol. D. Prof. Publ.
Ord. Facult. Philoſ. t.t.
Decanus.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

I. Caput agit de Autore Philoſophiæ Carteſianæ. 1
II. Caput agit de Scriptis Renati Des Cartes. 15
III. Caput agit de Principiis Philoſophiæ Carteſianæ. 25
IV. Caput agit de Adjunctis Philoſophiæ Carteſianæ. 44
V. Caput agit de Oppugnatoribus & Propugnatoribus Philoſophiæ Carteſianæ. 52
VI. Caput agit de Judiciis de Philoſophiâ Carteſianâ. 70

CAPUT I.

De

AUTORE *PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.*

QUanquam, uti DANIEL LIPSTORPIUS affirmat, RENATUS DES CARTES ad univerſam rerum materialium naturam explicandam nullo principio uſus ſit, quod non ab ARISTOTELE, omnibusq; aliis ſeculorum Philoſophis fuerit admiſſum, & ipſi Profeſſores Academiæ provincialis Ordinum GYRONINGÆ & OMBLANDIÆ fateantur, quædam à nonnullis ceu Carteſiana vel jactari vel impugnari, quæ ante CARTE-

SIUM alii tum Philoſophi ſubtiles, tum Theologi orthodoxi tuiti ſunt, adeò ut Philoſophia Carteſiana odioſum novitatis titulum benè poſſit eludere; nos tamen novitatem non ex veritate, quæ nunquam nova eſt, ſed ex Perſonis æſtimantes, jure Autorem Carteſianorum placitorum ſalutamus RENATUM CARTESIUM.

Fuit autem RENATUS DES CARTES ex antiquâ & nobili Pictonum proſapiâ natus, anno παρθενοτοκίας milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, in urbe illa populosâ, HAGÆ TURONUM, patre Nobile Pictone, & Perronii Domino, poſtea Parlamenti Redonenſis in Britannia Præſide.

Qui parens cùm ſingulares quasdam animi dotes, & rarum præprimis ingenii acumen in filio ſuo animadverteret, eum ulterius erudiendum concredidit Patribus Societatis Jeſu Collegii *de la Fleche*, ab HENRICO IV. Galliarum Rege fundati, & doctis ſemper viris, ut ajunt, conſpicui. Ibi Præceptorum ſuorum auſcultationibus, præſtan-

ſtantiſſimorum Autorum lectionibus, & aſſiduis ſuis meditationibus (ipſe enim paſſim in Methodo de ſuâ induſtriâ gloriatur, & p. 4. ita: *Et meſme ne m' eſtant pas contente, des ſciences, qu' on nous enſeignoit, j' avois par eouru tous les livres, trajtans de celles qu' on eſtime les plus curienſes & les plus rares, qui avoit pu tomber entre mes mains*) attentus adeò incubuit, ut brevi annorum ſpacio, non tantùm omnibus commilitonibus ſuis palmam, in ſtudio præſertim *Mathematico*, præriperet, ſed etiam in *Algebra* & *Analyſi Geometrica* quotidiè tot tamq; arduis quæſtionibus Præceptorem ſuum defatigaret, ut eum non amplius ſuâ informatione indigere ingenuo teſtimonio confirmaret.

Decurſo itaq; ſtudiorum ſuorum in *Collegio Claremontano* tramite, incepit CARTESIUS varias viſitare urbes, varias adire aulas, & varias regiones, integraq; regna GALLIAS, BELGIUM, DANIAM, GERMANIAM, ITALIAMq; perluſtrare. Cùm autem de-

Digitized by Google

veniſſet in BRABANTIAM, & Arauſionenſium Principem, MAURITIUM, confœderati Belgii Gubernatorem & Generaliſſimum, BREDÆ nondum à Marchione SPINOLA recuperatæ, commorari videret, neſcio quô œſtrô, niſi ſuæ forſan Nobilitatis præeminentia, percitus laudato jam Duci nomen dedit, ſeq; militem, ut vocant, voluntarium exhibuit, tantiſper, dum pangeretur inter Hiſpanos & Batavos armorum interſtitium.

Relicto Arauſionenſium Principe, contulit ſe FRANCOFURTUM ad Mœnum, & visâ ibi, anno milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, FERDINANDI II. Imperatoris inauguratione, denuò ad caſtra reverſus ſe MAXIMILIANO Bavariæ Duci, exercitum contra FRIDERICUM V. Comitem Palatinum & Electorem cienti addixit, & tam diu apud eum ſubſtitit, donec interventu Oratorum Gallicorum pax inter MAXIMILIANUM & Confœderatos Evangelicos ULMÆ,

anno

anno M DC XX. ſanciretur, atq; ideò miles in hyberna dimitteretur.

Sæpius certè admiratus ſum, quam ob cauſam RENATUS DES CARTES militiam ſecutus ſit, & niſi ipſe in Methodo ſua dixiſſet, ideò ſe peregrinationes ingredi, exercitus, urbes, aulasq; inviſere decreviſſe, ut hominibus diverſorum morum & ordinis converſando varia hinc inde experimenta colligeret, & ſeipſum in diverſis fortunæ caſibus probaret, ſicq; ad omnia, quæ in vita occurrerent, attendendo, nihil, ex quo eruditior fieri poſſet, ſibi videretur omittere, ſi, inquam, hoc ipſe non dixiſſet, facilè locum dediſſem conjecturæ MARTINI SCHOCKII, Philoſophiæ in Academiâ Groningo-Omblandicâ Profeſſoris, his verbis conceptæ: *Conjectura probabili ſi locus dandus ſit, dicerem ſub IGNATII LOYOLÆ ſidere natum eſſe: ut hic enim ſuperſtitioſæ ſectæ molitus eſt fundamenta, poſtquam contuſis membris de murali aut navali in bello coronâ indipiſcendâ deſperaret: ita noſter*

ſter CARTESIUS *poſt militiæ non longæ tyrocinia, deſperans Mareſchalli aut Legati imperium, fultus qualiscunq; Matheſeos præſidio, novam Philoſophiam, ut novum ad gloriam iter, meditari cœpit.*

Quicquid ſit, fateri tamen cogimur, vix quenquam, inprimis Nobilem, ſibi veram promittere eruditionem peritiamque poſſe vel virorum doctorum veſtigia legere cum honore, vel cum utilitate Rempubl. adminiſtrare, qui perpetuò domi deliteſcens, nullas exteras regiones, nullas Academias, nullas urbes, aulasq; frequentabit. Quod cùm CARTESIUM non latuiſſe credam, ideò, ne talis videretur, qui trans mare anſeres eſſe ignoraret, alterâ vice itineri ſe aptavit, & poſt renunciationem militiæ totam ſuperiorem GERMANIAM, POMERANIAM, Marchionatum BRANDENBURGENSEM, MEGAPOLIM, HOLSATIAM, DANIAMq; peragravit: è Dania devenit in BATAVIAM, è Bataviâ in ITALIAM, ex Italia in GALLIAM,

Lute-

Lutetiæq; Pariſiorum ſedem per integrum triennium fixit. Quo triennio præterlapſo, BATAVIAM repetiit, & ſpretis aularum deliciis, quibus ſæpiùs frui potuiſſet, Eremo Philoſophica contentus, nunc EGMONDÆ, nunc ENDEGESTÆ, nunc AMSTELODAMI, nunc ULTRAIECTI, nunc LUGDUNI, nunc HARDEWICI, nunc LEWARDÆ, nunc DAVENTRIÆ, & aliis in locis potiſſimùm in ſolitariis villulis per viginti annos vixit.

Cauſam, ob quam Batavìam ſibi ſtudiorum ſuorum ſedem elegerit, ipſe ſignificat in Epiſtola ad GISBERTUM VOETIUM part. 7. ubi contra criminationes VOETII, vel potiùs MARTINI SCHOCKII in Præfat. Adm. 2. Method. ac ſi eſſet lucifuga & delectaretur improbis angulis, ita ſe defendit: *Notum eſt, me jam à plurimis annis has regiones ita incolere, ut nemini dubium eſſe poſſit, quin æq; benè, atq; ullus indigena erga ipſas ſim affectus: ac etiam fortè hoc nomine mihi ali-*

quid prærogativæ eſſe tribuendum, quod non ex ſorte naſcendi, ſed ex delectu in illis vivam. Cùm enim, ut multi ſciunt, ſatis commodè in patria verſarer, nec alia prorſus ratio me ad alias ſedes quærendas impelleret, quàm quod propter multitudinem amicorum & affinium, quorum conſortio carere non poteram, mihi minus eſſet otii & temporis ad incumbendum ſtudiis, quibus oblector, & quæ aliqui perſuaſum habent, ad commune bonum gentis humanæ prodeſſe poſſe; cumq; nulla pars orbis terrarum mihi clauderetur, atq; omninò nulla eſſet, quàm non confiderem me libenter in incolam ſibi nec gravem, nec fortè etiam indecorum, eſſe recepturam, hanc præ cæteris omnibus habitandam delegi.

BATAVIAM, utpote Philoſophicam Eremum ſuam magni æſtimavit, eamq; cum præſtantiſſimis honoribus commutare noluit, adeò ut à Rege Galliæ in Gallias aliquando evocatus, & vel ad maximos Lutetiis honores capeſſendos, vel ſi placeret, ad Præfectu-

ram

ram Conventus Juridici Redonenſis, loco demortui Parentis, adeundam invitatus, non apparuerit, ſed ſuâ ſorte contentus, debitas Regi Chriſtianiſſimo gratias pro oblatis honoribus egerit.

Cæterùm impenſum favorem & amorem tum in ipſum CARTESIUM, tum in CARTESII ſcripta, vibravit Sereniſſima Principiſſa ELISABETHA, Friderici V. Elect. Palat. filia natu maxima, quam unicam hactenus inveniſſe dicit in Dedicatione Principiorum Philoſophicorum, quæ tractatus anteà à ſe evulgatos perfectè omnes intellexerit.

Ipſa decantatiſſima Suecorum Regina, CHRISTINA, fama & ſcriptis CARTESII illecta, eum humaniſſimè ad aulam ſuam invitavit; quam invitationem admiratione profectò dignam devoto cultu ſuſcepit, & non diu moratus, relictô Batavô Parnaſsô ſolvit in SUECIAM, menſeq; Octobris, anno ſeculi noſtri quadrageſimo nono, in aulam regiam advenit. Vix autem vitam ſuam aulicam paulò diſpoſuerat, vel

diuturnarum peregrinationum moleſtiis fractus, vel ſenio debilitatus, vel alio quodam morbo, originem ex nimiâ forſam vini Hiſpanici ingurgitatione, ut quidam ſuſpicari volunt, trahente confectus, ſtatim poſt quartum ingreſſus ſui menſem, ultimo, nî fallor, die Februarii, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo, è vita receſſit.

Fidei ſuæ profeſſionem quod attinet, & Parens, & Patria, & informatio à Jeſuitis, & totus vitæ curſus, indicant, eum Religione fuiſſe Pontificium, *quamvis*, quod Profeſſores Gröningenſes addunt, *Pontificiarum ſuperſtitionum ſatis ſecurum, etiam in ipſa morte*. Conſentit CYRIACUS LENTULUS, Profeſſor Marburgenſis, qui CARTESIUM Pontificium Religione, Pontificiarum ſuperſtitionum ſatis ſecurum fuiſſe, illorum confirmare judicium ait, qui eum nullius Religionis fuiſſe, ſed Pontificiam externâ profeſſione, ut patriam & à perſecutione tutiorem induiſſe ſuſpicantur. Humatus

tus eſt RENATUS DES CARTES, Stockholmiæ in Suecia, cui in honorem & memoriam illuſtris PETRUS à CHANUT, Chriſtianiſſimi Regis ad Reginam CHRISTINAM Legatus Ordinarius, egregium in Regia illa Metropoli monumentum erigi curavit, quod nobis legendum & ſpectandum exhibet TOBIAS ANDREÆ, A. L. M. & Hiſt. ling. Græc. Prof. in Acad. Groning. & Ombl.

Anterior facies 1.

D. O. M.
Regnante
CHRISTINA,
Guſtavi Primi Pronepte,
Magni Filia,
Avorum incepta patriæq; terminos
victoriis novis promovente,
Pacem demùm armis quæſitam, artibus
ornante
accitis undiq; terrarum
Sapientiæ Magiſtris,
ipſa in exemplum futura,
RENATUS DES CARTES
ex eremo Philoſophica

in lucem & ornamentum aulæ vocatus,
poſt quartum menſem morbo interiit,
& ſub hoc lapide
mortalitatem reliquit,
Anno Chriſti M DC L. vitæ ſuæ LIIII.
Poſteri virtutem imitantor.

Siniſtra facies 2.

RENATUS DES CARTES
Perronii Dominus,
ex antiqua & nobili inter Pictones &
Armoricos gente,
in Gallia natus,
acceptâ quantacumq; in ſcholis tradebatur
eruditione,
expectatione ſuâ votisq; minore,
ad militiam per Germaniam & Pannoniam adoleſcens profectus,
& in otiis hybernis
Naturæ myſteria componens cum legibus Matheſeos,
utriusque arcana eâdem clavi reſerari
poſſe,
auſus eſt ſperare
& omiſſis fortuitorum ſtudiis in villula ſolitarius,

prope

prope Egmundum in Hollandia,
aſſidua viginti quinq; annorum meditatione,
auſo potitus eſt.
Hinc orbe toto celeberrimus
à Rege ſuo conditionibus honorificis evocatus,
redierat ad contemplationis delicias,
unde avulſus admiratione
Maximæ Reginæ
quæ, quicquid ubique excelluit, ſuum fecit,
gratiſſimus advenit, ſeriò eſt auditus, & defletus obiit.

Dextra facies 3.

Noverint poſteri,
qualis vixerit
RENATUS DES CARTES,
ut cujus doctrinam olim ſuſpicient,
mores imitentur.
Poſt inſtauratam à fundamentis Philoſophiam,
apertam ad penetralia Naturæ mortalibus viam,
Novam, Certam, Solidam;
hoc unum reliquit incertum,

major in eo modeſtia eſſet, an ſcientia.
Quæ vera ſcivit, verecundè affirmavit.
Falſa non contentionibus, ſed vero admoto refutavit.
Nullius antiquorum obtrectator; nemini viventium gravis.
Invidorum criminationes purgavit innocentia morum.
Injuriarum negligens; amicitiæ tenax.
Quod ſummum tandem eſt,
iter per creaturarum gradus ad creatorem eſt conatus,
ut opportunus Chriſto gratia auctori in avita Religione quieſceret.
I nunc viator, & cogita,
quanta fuerit
CHRISTINA,
& qualis aula,
cui mores iſti placuerunt.

Poſterior monumenti facies 4.

Chriſtianiſſimi Regis
LUDOVICI XIIII.
Ludovici Juſti Filii,
Henrici Magni Nepotis,
ANNA AUSTRIACA

Opti-

Optima, Prudentiſſima, Fortiſſima
Regina,
annos & regnum Filii regente,
Legatus Ordinarius
PETRUS CHANUT,
hoc monumentum
ad gloriam DEI, bonorum omnium
datoris,
Gallici nominis honorem,
perpetuam memoriam amici cha-
riſſimi,
RENATI DES CARTES,
poni curavit.
Anno ſeptimo ab exceſſu
LUDOVICI JUSTI.

CAPUT II.

De

SCRIPTIS *RENATI DES CARTES.*

QUemadmodum ii, qui ARISTOTELEM ſequuntur, libros Ariſtotelicos diſtribuere ſolent in exotericos & acro-

Digitized by Google

& acroamaticos; ſic Carteſiani CARTESII ſcripta etiam in ſublimiora magisq; à vulgari captu aliena, & in popularia diſpeſcunt, ita ut illo nomine veniant Meditationes, hoc verò Methodus.

METHODUS, ſeu ut genuina inſcriptio Gallica ſonat, *Diſcours de la Methode pour bien conduire ſa raiſon & chercher la veritè dans les ſciences*, ſcriptum eſt exotericum & hiſtoricum, nihilq; aliud tractat, quàm delineationem ſtudiorum, peregrinationis, vitæ, & conſiliorum CARTESII. JACOBUS REVIUS, Theol. D. & Colleg. Theol. Ord. Holl. & Weſtfriſ. accipit Diſſertationem hanc pro mera Methodo, putatq; omnia, quæ ibi traduntur, eſſe certos gradus, puras Regulas, & mera exempla, quæ obſervanda ei forent, qui rationem ſuam rectè regere & veritatem ſcientiarum inveſtigare velit. *Primum* Methodi gradum à CARTESIO ſtatui opinatur puerilem vel adoleſcentilem in ſcholis informationem: *ſecundum*, examen omnium,

quæ

quæ didicit: *tertium*, ſtudiorum deſertionem, & multiplicem per mundum, aulas, & exercitus oberrationem: *quartum*, oblivionem omnium ante ſcitorum vel creditorum: *quintum*, Regulas quatuor morales: *ſextum*, fallaciam ſenſuum, adeoq; fidei, quæ ſenſibus debetur, abrogationem: *ſeptimum*, inquiſitionem certi & inventionem demonſtrationis: *octavum*, inventionem idearum in mente.

Quanquam, ut verum fateer, negari planè non poſſit, quædam in illo ſcripto, tanquam Regulas directrices, contineri, juxta quas ratio, ſi ea rectè uti velimus, aſciari debeat; integer tamen libellus talis ſcala non eſt, quæ octo conſtans transverſalibus, gradatim calcanda eſſet ei, qui culmen ſapientiæ geſtit aſcendere. Non enim inſcribitur abſolutè Methodus rectè regendæ rationis & veritatis in ſcientiis inveſtigandæ, ſed tantùm, juxta Inſcriptionem TULLII de officiis, SPINÆI de tranquillitate animi, & TAFFINI de emendatione vitæ, DISCOURS DE

LA

LA METHODE, cui vel antecedenter, vel concomitanter, vel conſequenter tales omninò hiſtoriolas immiſcere licitum eſt, quæ indicant, quâ ratione ſuam Philoſophiam CARTESIUS invenerit, & quomodo in tales cogitationes inciderit. Quid? quod ipſe CARTESIUS arrogantiam hanc, ac ſi vellet ex ſua ſumma prudentiâ cuilibet vitæ & eruditionis exemplar præſcribere, à ſe declinat, cùm in Methodo ait: *Ne quis putet me hîc traditurum aliquam Methodum, quam unusquisq; ſequi debeat, ad rectè regendam rationem: illam enim tantùm, quàm ipſemet ſecutus ſum, exponere decrevi.* Et hæc de Methodo CARTESII addere volui, quoniam video, quod pleriq; Adverſarii, nominatim JACOBUS REVIUS & CYRIACUS LENTULUS tela ſua in eam acuant, cùm tamen legendo deprehenderim ego, verum facilè eſſe, quod Anglus quidam doctiſſimus, HENRICUS MORE de diſſertatione illa Cantabrigiâ ad CARTESIUM ſcripſit: *In Methodo tua, luſorio*

rio quodam, ſed eleganti modeſtiæ genere, talem te exhibes virum, ut nihil indole genioq; tuo ſuavius & amabilius, nihil excelſius & generoſius fingi poſſit vel expeti.

Diſſertationis de Methodo comites ſunt DIOPTRICE & METEOROLOGICA, quæ Specimina Philoſophiæ inſcribuntur, quæque, velut & ipſa Methodus, Gallicè conſcripta, ſine Autoris nomine primùm prodiêre, poſtquam verò ab amico quodam in linguam Latinam verſa ſunt, nomen Autoris adjectum eſt. Cauſam ipſe RENATUS commnnicat in Epiſtola ad P. DINET Soc. Jeſ. Præpoſitum Provincialem per Franciam: *Cùm anno 1637. nonnulla Specimina vulgarem, inquit, nihil non facere conatus ſum, ut præcaverem invidiam, quam mihi, licet indigno, imminere advertebam; hæc cauſa fuit, cur nomen meum ipſis Speciminibus præfigi noluerim, non, ut quibusdam fortè viſum eſt, quod rationibus in iis contentis non fiderem, vel eorum me puderet; hæcq;*

hæcq; etiam fuit cauſa, cur declararim expreſſis verbis in Diſſertatione de Methodo p. 66. mihi non in animo eſſe, ut dum viverem Philoſophia mea vulgaretur. Quo in inſtituto adhuc manerem, ſi, ut ſperabam & ratio poſtulabat, hoc me, ſaltem aliquâ ex parte, invidia liberaſſet.

Cæterùm Dioptrica (in quam commentationes adornaſſe ſcribitur GUDSCOVIUS, Mathematum Profeſſor Lovanii) lectu digniſſima habetur, cùm in eâ non tantùm *Luminis*, *Viſionis*, & *Retractionis* naturam, atque *Conicarum Sectionum* proprietates ſubtiliſſimè & breviſſimè indigitet, ſed etiam *Tubos Diopetricos*, & vitra tum *comburentia*, tum in formam *Ellipſis*, *Ovalis*, & *Hyperboles* efformare doceat.

Speciminibus Philoſophiæ CARTESIUS adjunxit GEOMETRIAM, iterum Gallicè conſcriptam, & anno noſtri ſeculi trigeſimo ſeptimo editam; anno verò XLIX. Latino Idiomate commutatam, & Commentariis duorum famigeratorum virorum FRANCISCI

CISCI SCHOFENII & FLORIMONDI DE BEAUNE illuſtratam.

Geometriam exceperunt MEDITATIONES de prima Philoſophia, in quibus DEI Exiſtentiam & animæ humanæ à corpore diſtinctionem demonſtrare laborat RENATUS. Qui labor quàm felici ſidere ſucceſſerit, videri poteſt in D. JOHANN-ADAMI OSIANDRI Theol. D. abſolutiſſimi Tractatu de DEO in lumine Naturæ repræſentato, Exerc. V. Ipſe PETRUS GASSENDUS, etſi aliàs favere videatur CARTESIO, in Epiſtola Disquiſitioni ſuæ Metaphyſicæ præmiſsâ, fatetur quidem, quòd lubentiſſimè ter maximi DEI exiſtentiam, & animorum immortalitatem profiteatur, at hæreo, inquit, duntaxat circa energiam illius ratiocinii, quô Tu tam iſta, quam alia Metaphyſica cohærentia probas.

Adjectæ ſunt Meditationibus binæ Epiſtolæ, altera ad P. DINET, altera ad GISBERTUM VOËTIUM Theologiæ Profeſſorem Ultrajecti famoſiſſimum.

Cùm Meditationes, de quibus pauca in ſequenti capite excerpam, ſint plurimorum ingeniorum offendiculum, & multi iique eruditiſſimi viri graves in eas Objectiones excogitaverint, operæ pretium eſſe judico, breviter enarrare illarum objectionum ſummam, ut Lector perſpiciat, quid Autoribus viſum ſit oppugnandum.

In primâ igitur Objectione contra Meditationes rejicitur modus, quo CARTESIUS Dei exiſtentiam per Ideam demonſtrare voluit.

In ſecunda Objectione oppugnatur Carteſianum exilium, quô quidem non actu & revera, ſed animi tantùm fictione corporum omnium phantaſmata pro viribus rejecit, ut ſe ſolam rem cogitantem eſſe concluderet, cùm interim incertum maneat, num illa res cogitans non forte poſſit eſſe corpus, quod variis motibus & occurſibus faciat illud, quod vocat cogitationem. Item oppugnatur principium illud, quo ex Idea ſummi Entis, quàm à ſe minimè produci poſſe contendit, audet con-

concludere neceſſitatem exiſtentiæ Summi Entis, à quo ſolo poſſit eſſe illa Idea, quæ menti ipſius obverſatur.

Ibidem oppugnatur Regula, quâ ſe de nulla re certum eſſe, vel clarè & diſtinctè aliquid cognoſcere poſſe dicit, niſi priùs certè & clarè Deum noverit exiſtere.

In tertia Objectione oppugnatur præcipuè disquiſitio Dei exiſtentis per ideas, cum tamen Deus ideam vix habeat.

In quarta Objectione oppugnantur varia philoſophemata circa naturam mentis humanæ, & Deum, variaque, quæ Theologos morari poſſunt.

Quintæ Objectiónis loco CARTESIUS ſupponit Epiſtolam, in qua reſpondet ad Epitomen præcipuarum PETRI GASSENDI inſtantiarum, quibus probare conatus eſt, CARTESIUM rem impoſſibilem poſtulare, quando omnia præjudicia exui vult. 2. Non poſſe illa à quopiam exui, quin alia magis noxia induat. 3. Methodum

dum de omnibus dubitandi nulli veritati inveniendæ utilem eſſe.

In Objectione ſexta proponuntur octo ſcrupuli, quorum unus ex duobus primariis ſtringit conſequentiam à cogitatione ad mentis exiſtentiam: alter verò indifferentiam judicii ſeu libertatis, quam CARTESIUS negat ad arbitrii perfectionem pertinere.

Reſponſiones ad has Objectiones ubiq; à CARTESIO additæ ſunt, quò Lectorem ductum volo.

Poſt Meditationes in lucem prodiêre PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA, in quatuor partes diviſa, quarum prima agit de principiis cognitionis humanæ; altera de principiis rerum naturalium; tertia de mundo aſpectabili; quarta de Terra.

Noviſſimè lucem viderunt PASSIONES ANIMÆ, juxta quarum ductum forſitan Tractatum edidit de Mente humana, ejusq; Facultatibus & Functionibus, nec non de ejusdem unione cum corpore, LUDOVICUS DE LA FORGE.

Hæc

Hæc ſunt ſcripta, quæ in literariam Rempublicam emiſit RENATUS DES CARTES; & licet DANIEL LIPSTORPIUS promittat, plura, quæ antea latuerunt, operâ & ope illuſtris PETRI CHANUTI proditura eſſe, nempe *Tractatum de Homine*, *Tractatum de Generatione Animalium*, *Compendium Mechanicarum*, *Analyſin Geometricam*, & *Epiſtolas* magno numero ab Autore ad amicos conſcriptas, rerumq; Philoſophicarum pleniſſimas, hactenus tamen mihi non licuit eſſe tam beato, ullum ex hisce videre.

CAPUT III.
De
PRINCIPIIS *PHILOSOPHIÆ* *CARTESIANÆ.*

QUemadmodum omnium earum rerum, quas homo vi naturali noviſſe poteſt, ſcientia perfecta ſuis con-

ſtat principiis, ex quibus genuina cognitio fluit; cùm ſcire nihil aliud ſit, quàm rem per cauſas cognoſcere: ita RENATUS DES CARTES Philoſophicæ ſuæ ſtructuræ talia ſuppoſuit fundamenta, quæ partim tam *clara* pronunciat & *evidentia*, ut mens humana, dum ea attentè conſiderat, de illarum veritate dubitare non poſſit; partim tam *apta* & eleganter concinnata promittit, ut nulla occurrat concluſio, quæ exinde deduci non queat, nihilq; in tota deductionum ſerie inveniatur, quod non ſit manifeſtiſſimum. *Legi poteſt Epiſtola Autoris ad Principiorum Philoſophicorum interpretem Gallicum, Præfationis loco iſtis Principiis affixa.*

Hinc in Epiſtola ad P. DINET Soc. Jeſ. ſingulas quæſtiones brevibus articulis incluſurum ſe pollicetur, taliq; ordine ipſas exſecuturum, ut ſequentium probatio ex ſolis præcedentibus dependeat, & omnes in unum corpus redigantur. Quâ ratione ſperat etiam, ſe veritatem eorum omnium, de quibus

bus in Philoſophia ſolet diſputari, tam clarè eſſe expoſiturum, ut quicunque illam quærent, perfacilè ipſam ibi ſint inventuri. Quinimò profitetur, ne unius quidem quæſtionis ſolutionem, ope principiorum Peripateticæ Philoſophiæ peculiarium, datam unquam fuiſſe, quam non ſuis fulcimentis poſſit demonſtrare eſſe illegitimam & falſam. *Fiat*, inquit, *periculum, proponantur, non quidem omnes, neq; enim operæ pretium puto multum temporis ea in re impendere, ſtabo promiſſis.*

Num CARTES ſuis promiſſis ſteterit, neſcio: hoc verò ſcio, MARTINUM SCHOCKIUM eam pollicitationem *in Philoſophia ſua Carteſiana* giganteam præſumtionem, ipſamque Epiſtolam ad P. DINET ſcurrilem & mendacem nuncupare, adeòq; CARTESIUM, tanquam tenebrionem, cum porculo ANTICYRAS ablegandum judicare. Et certè ſi omnes quæſtiones, omnesq; Articulos, tot ſeculorum decurſibus inter præſtantiſſimos Philoſophos agitatos, nec hodienum de-

ciſos, duobus ſuis principiis ſolvere, clarè exponere, & certò determinare, omnesq; ſolutiones Peripateticas falſitatis convincere potuit CARTESIUS, Thomiſticâ profectò canonizatione dignum eum eſſe putabo; prout eandem ob cauſam JOHANNES XXII. canonizaſſe THOMAM, &, teſte GERSONE in Opuſculo contra impugnantes Ordinem Carthuſienſem Tom. 2. dixiſſe fertur: *Etſi nulla alia extarent miracula, ob quæ Sanctus hic canonizari poſſet, quælibet quæſtionum, quas determinavit, & quilibet Articulorum, quos ſcripſit, unum eſt per ſe miraculum. Tot igitur miracula fecit, quot Articulos ſcripſit, quia omnes reſolvit lumine plus quàm humano.* Sed agite, quæſo, cuncta deponamus præjudicia, cupidam ſcrutandi mentem curis omnibus ſolvamus, & pro CARTESII juſſu attenti ſpeculemur Principiorum Carteſianorum Conditiones, tum EVIDENTIAM ſcilicet, tum DEDUCTIONEM.

Enim-

Enimverò cùm RENATO DES CARTES omnia, quæ in Philoſophia vulgata occurrunt, dubia & incerta viderentur, ſtatuit, de omnibus rebus ſemel in vita dubitandum, omnesq; præconceptas opiniones, quæ ab ineunte ætate, ſive ex ore Præceptorum, ſive ex ipſis Naturæ experimentis collegimus, eſſe ſuffocandas, ſin aliter ad veræ ſapientiæ littus emergere velimus. Animadverti, *ait in Meditatione prima*, jam ante aliquot annos, quàm multa ineunte ætate falſa pro veris admiſerim, & quàm dubia ſint, quæcunq; iſtis poſteà ſuperextruxi, ac proinde funditus omnia ſemel in vita eſſe evertenda, atque à primis fundamentis denuò inchoandum, ſi quid aliquando firmum & manſurum cupiam in diſciplinis ſtabilire. Quoniam, *inquit in part. prim. princip. Philoſ.* §. 1. 2. 3. infantes nati ſumus, & varia de rebus ſenſibilibus judicia prius tulimus, quàm integrum noſtræ rationis uſum haberemus, multis præjudiciis à veri cognitione avertimur, quibus non aliter vi-

demur poſſe liberari, quàm ſi ſemel in vita, de iis omnibus ſtudeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus.

Ex quibus colligimus, quòd DUBITATIO juxta CARTESIUM ſit primus ad veram ſapientiam obtinendam gradus. Ubi obſervo, quòd paſſim Philoſophus dubitationem ad ſolam *contemplationem* reſtringat, non verò ad *uſum vitæ* extendat. Si quis enim vellet dubitare, an DEUS ſit colendus, an parentes honorandi, an magiſtratui obſequendum, & dubiis his tantiſper ſe maceraret, donec intereà rerum agendarum occaſio præteriret, eum Carteſiana dubitatio vix excuſabit, ſicuti nec illum, qui, Scepticorum more, *perpetuò* dubitare vellet, cùm CARTESIUS *ſemel* duntaxat dubitare ſuadeat, non autem per omne vitæ ævum.

Cauſæ, quæ omnia reddunt incerta, hominesq; in tam profundum dubitationis oceanum deturbant, variæ proponuntur, inprimis *ſenſuum fallacia*, *ſomnio-*

ſomniorum ludificationes, æmula veri imaginatio, geniiq; alicujus aut ſpiritus potentiſſimi, quem imaginatio fingere poteſt, *deceptio.*

Aggrediar ſtatim, *ait in Med. 1.* ipſa principia, quibus illud omne, quod olim credidi, nitebatur: nempe quicquid hactenus, ut maximè verum admiſi, vel à ſenſibus, vel per ſenſus accepi, hos autem interdum fallere deprehendi; ac prudentiæ eſt, nunquam illis planè confidere, qui nos vel ſemel deceperunt. Sed fortè quamvis interdum ſenſus circa minuta quædam & remotiora nos fallant, pleraq; tamen talia ſunt, de quibus dubitari planè non poteſt, quamvis ab iiſdem hauriantur; ut jam me hîc eſſe, foco aſſidere, hyemali togâ eſſe indutum, chartam iſtam manibus contrectare, & ſimilia: manus verò has ipſas, totumque hoc corpus meum eſſe, quâ ratione poſſet negari? niſi me fortè comparem neſcio quibus inſanis, quorum cerebella tam contumax vapor ex atra bile labefactat, ut conſtanter aſſeverent,

vel ſe eſſe reges, cùm ſunt pauperrimi, vel purpurâ indutos, cum ſunt nudi, vel caput habere fictile, vel ſe totos eſſe cucurbitas, vel ex vitro conflatos; ſed amentes ſunt iſti, nec minus demens viderer, ſi quod ab iis exemplum ad me transferrem. Præclarè ſanè, tanquam non ſim homo, qui ſoleam noctu dormire, & eadem omnia in ſomnis pati, vel etiam interdum minus veriſimilia, quàm quæ iſti vigilantes: quàm frequenter verò uſitata iſta, me hîc eſſe, togâ veſtiri, foco aſſidere, quies nocturna perſuadeat? cum tamen poſitis veſtibus jaceo inter ſtrata; atque nunc certè vigilantibus oculis intueor hanc chartam, non ſopitum eſt hoc caput, quod commoveo, manum iſtam prudens & ſciens extendo, & ſentio, non tam diſtincta contingerent dormienti: quaſi ſcilicet non recorder à ſimilibus etiam cogitationibus me aliàs in ſomnis fuiſſe deluſum: quæ dum cogito attentiùs, tam planè video nunquam certis indiciis vigiliam à ſomno poſſe diſtingui, ut obſtupeſcam, & ferè hic

hic ipſe ſtupor mihi opinionem ſomni confirmet. — Infixa quædam eſt meæ menti vetus opinio, DEUM eſſe, qui poteſt omnia, & à quo talis, qualis exiſto, ſum creatus: unde autem ſcio, illum non feciſſe, ut nulla planè ſit terra, nullum cœlum, nulla res extenſa, nulla figura, nulla magnitudo, nullus locus, & tamen hæc omnia non aliter, quàm nunc mihi videantur, exiſtere? imò etiam quemadmodum judico interdum alios errare circa ea, quæ ſe perfectiſſimè ſcire arbitrantur, ita ego ut fallar, quoties duo & tria ſimul addo, vel numero quadrati latera, vel ſi quid aliud facilius fingi poteſt? At fortè noluit DEUS ita me decipi, dicitur enim ſummè bonus, ſed ſi hoc ejus bonitati repugnaret, talem me creaſſe, ut ſemper fallar, ab eadem etiam videretur eſſe alienum permittere, ut interdum fallar; quod ultimum tamen non poteſt dici. — — Supponam, non optimum DEUM fontem veritatis, ſed genium aliquem malignum, eundemq; ſummè potentem & callidum, omnem

ſuam induſtriam in eo poſuiſſe, ut me falleret: putabo cœlum, aërem, terram, colores, figuras, ſonos, cunctaq; externa nihil aliud eſſe, quàm ludificationes ſomniorum, quibus inſidias credulitati meæ tetendit: conſiderabo me ipſum tanquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non ſanguinem, non aliquem ſenſum, ſed hæc omnia me habere falsò opinantem: manebo obſtinatè in hâc meditatione defixus, atque ita, ſiquidem non in poteſtate mea ſit, aliquid veri cognoſcere, at certè hoc quod in me eſt, ne falſis aſſentiar, nec mihi quidquam iſte deceptor quantumvis potens, quantumvis callidus, poſſit imponere, obfirmatâ mente cavebo. *In Meditatione ſecunda dicit:* Suppono omnia, quæ video, falſa eſſe, credo nihil unquam extitiſſe eorum, quæ mendax memoria repræſentat; nullos planè habeo ſenſus; corpus, figura, extenſio, motus, locusq; ſunt chimæræ; quid igitur erit verum? fortaſſis hoc unum, nihil eſſe certi. Sed unde ſcio, nihil eſſe diver-

ſum

ſum ab iis omnibus, quæ jamjam recenſui, de quo ne minima quidem occaſio ſit dubitandi? Numquid eſt aliquis Deus, vel quocunq; nomine illum vocem, qui mihi has ipſas cogitationes immittit?

Breviſſimè omnes dubitationis iſtius paludes in unam lacum derivat CARTESIUS *in parte primâ Princip. Philoſ.* §. 4. ubi ait: Nunc itaq; cum tantùm veritati inquirendæ incumbamus, dubitabimus inprimis, an ullæ res ſenſibiles aut imaginabiles exiſtant: primò, quia deprehendimus interdum ſenſus errare, ac prudentiæ eſt nunquam nimis fidere iis, qui nos vel ſemel deceperunt; deinde, quia quotidiè in ſomnis innumera videmur ſentire aut imaginari, quæ nusquam ſunt; nullaq; ſic dubitandi ſigna apparent, quibus ſomnum à vigilia certò dignoſcat. Dubitabimus etiam de reliquis, quæ anteà pro maximè certis habuimus, etiam de Mathematicis demonſtrationibus, etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota; tum

quia vidimus aliquando nonnullos erraſſe in talibus, & quædam pro certiſſimis ac per ſe notis admiſiſſe, quæ nobis falſa videbantur; tum maximè quia audivimus eſſe DEUM, qui poteſt omnia, & à quo ſumus creati. Ignoramus enim, an fortè nos tales creare voluerit, ut ſemper fallamur, etiam in iis, quæ nobis quàm notiſſima apparent; quia non minus hoc videtur fieri potuiſſe, quàm ut interdum fallamur, quod contingere antè advertimus. Atq; ſi non à DEO potentiſſimo, ſed vel à nobis ipſis, vel à quovis alio nos eſſe fingamus, quò minus potentem originis noſtræ autorem aſſignabimus, tantò magis erit credibile, nos tam imperfectos eſſe, ut ſemper fallamur.

Ut autem ex hoc dubitationum gurgite, in quem meditabundus illapſus eſt, enatet ad ſummum, removet id omne, quod vel minimum dubitationis admittit, nihiloſecius quám ſi omninò falſum eſſet, pergitq; in relegandis rebus incertis, donec inveniat

aliquid

aliquid certi, quod eſt EXISTENTIA. Dum enim cogitat, dum dubitat, dum affirmat, dum negat, dum ignorat, dum vult, vel non vult, dumq; externa omnia, corpus, manus, oculos, pro ſomniis æſtimat & ludificationibus, id unum certum & indubium manere putat, quod ANIMA ſive MENS EXISTAT, cùm nulla dubitatio, nulla cogitatio, nulla affirmatio, tanquam Accidens, poſſit fieri ſine *Subjecto Exiſtente*, unde fluit.

Hanc conſequentiam aliis atq; aliis clarioribus verbis exprimit RENATUS DES CARTES. Numquid ergò ſaltem (*quærit in Med.* 2.) ego aliquid ſum? Sed jam negavi me habere ullos ſenſus, & ullum corpus; hæres tamen, nam quid inde? Súmne ita corpori ſenſibusq; alligatus, ut ſine illis eſſe non poſſim? Sed mihi perſuaſi, nihil planè eſſe in mundo, nullum cœlum, nullam terram, nullas mentes, nulla corpora; nónne igitur etiam me non eſſe? imò certè *ego eram*, ſi quid mihi perſuaſi: ſed eſt deceptor neſcio quis

ſummè potens, ſummè callidus, qui de induſtria me ſemper fallit; haut dubiè igitur *ego etiam ſum*, ſi me fallit, & fallat quantum poteſt, nunquam tamen efficiet, ut nihil ſim, quamdiu me aliquid eſſe cogitabo, adeò ut omnibus ſatis ſuperq; penſitatis, deniq; ſtatuendum ſit hoc pronunciatum, *Ego ſum*, *Ego exiſto*. *Part. prim. Princip. Philoſ.* §. 8. ita ſuum principium primum & certiſſimum elicit: ſic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes, facilè quidem ſupponimus nullum eſſe Deum, nullum cœlum, nulla corpora; nosq; etiam ipſos non habere manus, nec pedes, nec deniq; ullum corpus; non autem ideò nos, qui talia cogitamus, nihil eſſe: repugnat enim, ut putemus id quod cogitat, eô ipſo tempore, quo cogitat, non exiſtere. Ac proinde hæc cognitio, EGO COGITO, EGO SUM, eſt omnium prima & certiſſima, quæ cuilibet ordine philoſophanti occurrat.

Poſtquam igitur RENATUS CARTESIUS

TESIUS Propoſitionem ſuam primam (quæ quidem Mataphyſica ſeu immaterialis eſt) ex denſa ſpiſſitudine, duce illuminatæ forſan rationis lumîne extraxiſſe, eiq; propoſitioni clariſſimam *evidentiam*, quod primum eſt principii alicujus requiſitum, conciliaſſe ſibi perſuaſum habet, pergit in ſcriptis ſuis alterum quoq; requiſitum planum facere, & demonſtrare, quomodo ex uno illo primo principio innumeræ evidentes *concluſiones deduci*, innumeræque controverſiæ, ſatis aliàs dubiæ, decidi poſſint. Sic exinde concludit diſtinctionem inter animam & corpus, ſeu inter rem cogitantem & corpoream: concludit exinde neceſſariam Dei exiſtentiam, & ejus per Ideam repræſentati perfectiones, omniaq; attributa, naturali ingenii vi cognoſcibilia: concludit ex Dei cognitione reliquarum creaturarum & ſubſtantiarum cognitionem: ſic alia quamplurima exinde concludit, de quibus ut lectori conſtet, invito eum ad Principia Philoſophiæ, ubi, licet de omnibus rebus non ege-

egerit, illudq; impoſſibile fuerit, omnia tamen, de quibus dicendi occaſionem habuit, ita me explicaſſe exiſtimo, (*inquit in Epiſtola ad Interpretem Gallicum*) ut qui illum cum intentione legent, rationem habituri ſint, ſibi perſuadendi, non opus eſſe alia principia quærere, quàm ea, quæ tradidi, ut ad altiſſimas quasq; notitias, quarum mens humana eſt capax, perveniatur.

Et quanquam hoc unum principium, *Ego cogito, Ergo ſum*, CARTESIO ſufficere videatur ad omnium rerum, quæ in mundo ſunt, notitiam deducendam, aliud tamen depromit ſpecialius, & Phyſicum ſeu materiale, dum *corporis in univerſum ſpectati eſſentiam* ponit in eo, quod ſit *extenſum in longum, latum, & profundum.* Ex hoc altero principio iterum ſexcentas deducit concluſiones, ſcilicet, ut quasdam tantùm recenſeam, nullas dari formas ſubſtantiales; nullam qualitatem ſenſibilem, nullum colorem, ſaporem, odorem, duritiem, aut aliquid tale ad corporis eſſentiam pertinere; rare-

rarefactionem & condenſationem conſiſtere in figuræ mutatione, ita ut rara corpora illa ſint, inter quorum partes multa intervalla exiſtunt, corporibus aliis repleta; & per hoc tantùm denſiora reddantur, quòd ipſorum partes ad invicem accedentes, intervalla iſta imminuant; ſpacium ſive locum internum à ſubſtantia corporea in re non differre, ſed tantùm in modo, quo à nobis concipi ſolent; locum externum ſumi poſſe pro ſuperficie, quæ proximè ambit locatum; repugnare ut detur vacuum, in quo nulla planè ſit res; nullos dari atomos; mundum eſſe indefinitè extenſum; plures mundos eſſe non poſſe, & ſi quæ ſunt ſimilia, quæ in altera parte Principiorum Philoſophiæ continentur. Cùmq; Principia ſua tam vaſta, tamq; fœcunda reperiat, ut multò plura ex iis ſequantur, quàm mens noſtra cogitando perluſtrare unquam poſſit, aggreditur in tertia & quarta parte totum mundum, & explicat primas leges aut principia naturæ & modum, quô cœlum, ſtellæ fixæ, Planetæ,

netæ, Cometæ, & generatim totum hoc univerſum compoſita ſunt; deinde ſpeciatim ſcrutatur naturam hujus terræ, aëris, aquæ, ignis, magnetis, & omnium qualitatum, quas in his corporibus deprehendimus, quales ſunt lux, calor, gravitas, & ſimiles, ſicuti ipſe hæc enarrat *in Epiſtola ad Interpretem Gallicum*.

Ubi notaſſe juvabit peculiaria quædam placita, quæ hinc inde per Philoſophiæ ſuæ campum ſpargit, dum ait, terram ratione luminis à Planetis non differre; lunam, cum nova eſt, à terra illuminari; ſolem, inſtar flammæ, ex materia valde quidem mobili conſtare, ſed non ideò ex uno loco in alium migrare, nec ullo etiam, ut flammæ terreſtres, alimento egere; terram in cœlo ſuo quieſcere, ſed nihilominùs ab eo deferri, veluti navis nullis ventis, nec remis impulſa, nulliſq; anchoris alligata, in medio mari quieſcit, etſi fortè aquæ ingens moles occulto curſu delabens ipſam ſecum ferat; tria eſſe mundi aſpectabilis elementa, & ſi quæ ſunt

aliæ

aliæ ejusmodi opiniones, quas tamen pro *hypotheſibus* tantùm haberi vult, easq; cauſas ſe aſſumturum inquiat, *quas conſtat falſas eſſe.* Ne (*inquit in part. tert. Princ. Philoſ.* §.44.) nimis arrogantes eſſe videamur, ſi de tantis rebus philoſophando, genuinam earum veritatem à nobis inventam eſſe affirmemus, malim hoc in medio relinquere, atque omnia, quæ deinceps ſum ſcripturus, tanquam hypotheſin proponere, quæ quamvis falſa eſſe exiſtimetur, ſatis magnum operæ pretium me feciſſe arbitrabor, ſi omnia, quæ ex ipſa deducentur cum experimentis conſentiant. — — Quinimò etiam, ad res naturales melius explicandas, earum cauſas altius hîc repetam, quàm ipſas unquam extitiſſe exiſtimem. At nihilominùs (*claudit ſua principia*) memor meæ tenuitatis, nihil affirmo, ſed hæc omnia tum Eccleſiæ Catholicæ autoritati, tum prudentiorum judiciis ſubmitto, nihilq; ab ullo credi velim, niſi quod ipſi evidens & invicta ratio perſuadebit.

Habes

Habes hîc, Lector, ſummatim omnia principia, quibus Philoſophia Carteſiana utitur, & unde cauſas variorum Phænomenorum deſumit, de quibus quid ſit habendum, ex ſequentibus capitibus videbis.

CAPUT IV.

De ADJUNCTIS *PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.*

CUm data jam principia Philoſophiæ Carteſianæ per ora virûm aliquandiu volitarent, tractu temporis inſurrexerunt, tum Philoſophi, tum Theologi, LUTETIÆ, TRAJECTI, FRANEKERÆ, GRONINGÆ, LUGDUNI, & in aliis Academiis pluribus, qui nunc expreſſis, nunc ſuppreſſis nominibus, paulò Novam Philoſophiam accuratiùs disquirere, nonnunquam etiam arrodere cœperunt, ac eam in publi-

publicis Theſibus, Conſiderationibus, Corollariis, Programmatibus, integrisque ſcriptis, graviſſimorum quorumcunque errorum, ATHEISMI, SCEPTICISMI, ENTHUSIASMI, DELIRII, aliarumque ABSURDITATUM ream facere allaborarunt.

ABSURDITATEM olere putant Philoſophiam Carteſianam, quando illius Autor non tantùm ipſe de ſe affirmat, *ſe per integros viginti annos in eo occupatum fuiſſe, ut OMNIUM eorum, quæ unquam didicerat, OBLIVISCI* poſſit: verum id etiam faciendum eſſe ſedulò monet in Methodo Gallicè edita A. 1637. pag. 16. & 17. agnoſcitq; hoc dogma ſuum in Reſp. ad Objeꝏ. ſept. pag. 32, 7, 21, 23, & 24. Edit. Elz. *Primò* enim illud præceptum impoſſibile eſt, cùm quædam rationi & memoriæ ita ſint impreſſa, v.g. bis bina eſſe quatuor, ut eorum nulla planè poſſit oriri oblivio, niſi ipſa eruatur ratio, aut memoria evellatur. *Deinde* ſi ſectator Carthesianus omnium, quæ didicit, obliviſci debet, obliviſcetur

tur etiam Logicæ Naturalis, & conſequenter deturbabitur de ſanâ ſuâ ratione, eritq; animal irrationale. *Porrò* ignorantiam, barbariem, & inſcitiam introducit CARTESIUS, quando omnium eorum, quæ didicimus, obliviſcendum eſſe docet. *Deniq;* fruſtraneum & inutile eſt præceptum de omnium rerum oblivione; ſiquidem ea, quæ obliviſci debemus, aut falſa ſunt, aut vera: ſi vera, cur eorum obliviſci debemus? ſi falſa, ideò retineri in memoria debent, ut oppoſita veritas eluceſcat.

ABSURDITATEM olere putant Philoſophiam Carteſianam, quando illius Autor, *omnia illa, de quibus diſputatur, aut diſputari poteſt, incerta & dubia habenda eſſe jubet.* Si enim hoc faciendum eſt, ſequetur, nihil eſſe certi in tota rerum natura, cùm nihil ſit, de quo non diſputetur, aut diſputari poſſit: ſequetur, nihil eſſe certi in Sacra Scriptura, & in Theologia Orthodoxa, cùm contra utramq; diſputetur: ſequetur, nihil eſſe certi in ipſa

Phi-

Philoſophia Carteſiana, cùm & de illa jam acerrimè diſputetur.

PHRENESIN, DELIRIUM, & INSANIAM gignere putant Philoſophiam Carteſianam, quando illius Autor præſcribit in Methodo, mentem à ſenſibus abſtrahendam eſſe, ſibique relictam ac omnibus præſidiis ſciendi deſtitutam, circa axiomata per ſenſuum judicium maximè innoteſcentia, & quæ inde educi poſſunt conſectaria, exercendam. *Phreneſin* quidem; quoniam mens ſive in abſtractione ſive in contemplatione occupata, maximè intenta, unique rei velut immobiliter cogitando inſiſtens, facillimè, teſte experientiâ, de ſtatione ſua dimovetut, perque unius alicujus rei fixam nimis cogitationem, phreneſin incurrit: *Delirium*; quia non modò à ſenſibus, ſed etiam ab ideis vel imaginibus in phantaſia depictis mentem abſtrahere, adeòq; ſpecies phantaſiæ ſeponere, & ad tempus non curare docet CARTESIUS: *Veſaniam*; quia mens de omnium rerum ſcientiâ deturbata, & à ſen-

ſenſibus abſtracta, ſupraq; phantaſiam ſubvecta, æquè veſaniam exercebit, ac ille, qui podicem ſibi vitreum, aut corpus cereum imaginabatur.

Recta ad ENTHUSIASMUM ducere Philoſophiam Carteſianam arbitrantur, quando illius Autor non tantùm ipſe nocte dieq; vanis ſpeculationibus lecto affixus indulſit, ſed quando etiam in Reſp. ad Obj. ſecund. p. 181. tum vetera omnia abdicare, tum advertere jubet, quàm debiles ſint rationes, ob quas ſenſibus ſuis crediderunt, & quàm incerta ſint omnia judicia, quæ illis ſuperſtruxerunt: deinde conſiderare mentem propriam, cunctaq; ejus attributa, nec non ſedulò examinare propoſitiones per ſe notas, & ita per examen idearum, ſedulamque Entis ſummè perfecti contemplationem accedere ad veram intelligentiam eorum Axiomatum, quæ ipſe omnium mentibus, ut indubitata, inſculpta eſſe ſine teſte & ratione pronunciat. Quòd ſi enim ſenſibus fides derogatur, vetera omnia abdicantur, & menti occluſis oculis

oculis creditur, quàm facilè fieri poteſt, ut menti ſibi relictæ & judice ſuo carenti obrepere poteſt erroneum aliquod axioma, inimicum pietati, contrarium ſcripturæ, id quod eveniſſe legimus antiquis & recentioribus Enthuſiaſtis, DAVIDI GEORGIO, THOMÆ MUNZERO, HENRICO NICOLAI, & SEBASTIANO FRANKIO, qui contemplationibus ſuis vacantes, ſcripturam contemnere inceperunt, & vice divinorum oraculorum ea obtrudere auſi ſunt, quæ mens dictabat.

Viam ad SCEPTICISMUM novam philoſophandi rationem ſternere autumant, partim quando illius Autor expreſſis verbis in Princ. Philoſ. part. 1. ab init. de iis omnibus dubitare ſuadet, in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus, etiam de ſenſilibus, & demonſtrationibus Mathematicis; partim quando in Methodo Gallica p. 20. ſibi primò omnium proponit, nihil amplius ſe judicio ſuo amplexurum, quàm quod adeò dilucidè

& diſtinctè ſe intellectui ſuo offerret, ut nullam ampliùs dubitandi de eo occaſionem haberet. Jam verò cum nihil adeò evidenter verum cognoſcatur, circa quod aliquando animus non poſſet fluctuare, aut ſaltem dubitandi occaſionem offendere, concludunt, januam omninò aperiri ſcepticiſmo.

ATHEISMUM introduci à Philoſophia Carteſiana cenſent, quia Autor funditus OMNIA ſemel, ergò & Deum, in vita eſſe evertendum ſtatuit; quia Geniũ aliquem malignum, eundemq; ſummè potentem, Deceptoremq; potentiſſimum ſupponit, qui de induſtria eum ſemper fallat; quia quærit: numquid eſt aliquis Deus, vel quocunque nomine illum vocem, qui mihi has ipſas cogitationes immittat? veluti hæc non ſine ſtupore leguntur in Med. 1. & 2. Hæ ſunt iſtæ ſequelæ, quas parit Philoſophia Carteſiana: illi flores, quos ex RENATI campo naſci oſtendit MARTINUS SCHOOCKIUS. Omnes vires intendunt ADRIANUS HEEREBOORD Profeſſor Philoſophiæ Lugdu-

dunenſis in Epiſtola ad Curatores, Meletematibus præfixâ, & JOHANNES CLAUBERGIUS Profeſſor Duisburgi Clivorum, tum in *Initiatione*, tum in *Defenſione* ſua Carteſiana, ut venenoſas has caudas detruncent,& tetras conſequentias declinent. Quid autem præſtiterint, quasve limitationes, diſtinctiones,& exceptiones adhibuerint, ego, qui Hiſtoriam tantùm ſcribo, dicere ſuperſedeo.

Cæterùm ne ſola mala ex Philoſophia Carteſiana proveniſſe putetur, id boni diſſimulandum non eſſe reor, quòd ope Methodi Carthefianæ via *ad libertatem philoſophandi* ſtrata ſit. Equidem benè fecit CARTESIUS, inquit JOHANNES SCHULERUS Philoſophus Profeſſor *in Præf. ad Lector. Exam. Philoſ. Renati Des Cartes*, laudoq; hominis cætera inſtitutum, quòd in ſcholis trivialibus vulgò receptam Philoſophiam, quibus variis ineptiſſimisq; diſtinctiunculis à Scholaſticis in eam introductis, innumerisq; erroribus oppreſſa, miſerèq; dilaniata,& quaſi

ſepulta jacebat veritas, tandem reformare quaſi ab ovo aggreſſus ſit; quòdq; pro jure libertatis philoſophicæ, occultis quibusdam Peripateticorum, atq; inexplicabilibus principiis rejectis, alia quædam magis clara atque perſpicua ſubſtituerit. Hæc SCHULERUS, quamvis aliàs parùm CARTESIO faveat, & tantùm non contra illum in omnibus pugnet.

CAPUT V.

De

OPPUGNATORIBUS & PROPUGNATORIBUS *PHILOSOPHIÆ CARTESIANÆ.*

PRimus irrumpenti in Bataviam RENATI DES CARTES novitati ſeſe oppoſuit GISBERTUS VOËTIUS Theologiæ Doctor & Profeſſor, noſtris etiam in oris, famigeratiſſimus, atrox hoſtis, contra quem ſcripſit CARTES Epi-

Epiſtolam, in quâ examinat duos libros pro VOËTIO ſimul Ultrajecti editos, unum de *Confraternitate Marianâ*, alterum de *Philoſophia Carteſiana*.

Alter ab illo fuit MARTINUS SCHOOCKIUS Philoſophiæ in Academia Groningo-Omlandica Profeſſor, qui concinnavit *Admirandam Methodum Novæ Philoſophiæ Renati Des Cartes*, in quâ etſi ubiq; inimicum adverſus CARTESIUM vibret animum, illiúsve Philoſophiam non tantùm Scepticiſmi, Enthuſiaſmi, Atheiſmi, veſaniæ, aliarumq; abſurditatum, ſpinarum, tricarum, & gravium circa conſtitutiva rerum naturalium principia, circa diſtinctionem mentis à corpore, circa particulas inſenſibiles, circa calorem, magnetem, maris æſtum, pluriumve rerum naturam, errorum convincere ſtudeat; ſed etiam perſonalia addat, & in proœmio dicat, CARTESIUM *aut malæ conſcientiæ ſtimulis exagitari, fortè quod bidental (Deus novit!) alicubi contrectârit; aut eſſe*

ex Timonis, alteriusve triſtu μισανθρώπου poſteritate; aut deniq; amabili inſania deludi: internas tamen dotes CARTESII prædicare cogitur. *Internas dotes*, ait, *ſi iis tenebras non laboraret offundere, prædicaremus ipſi. Ingenioſum enim quis eum eſſe neget? nec tamen Deus quis (niſi aliquis Jovem omnigenæ libidinis Architectum cogitet) habendus eſt, quemadmodum cæci ejus ſectatores imperitis perſuadere ſtudent.*

Porrò adverſus CARTESIUM inſurrexit JACOBUS REVIUS, S.S. Theol. D. & Colleg. Theol. Præp. Ord. Holl. & Weſtfr. Præſ. qui tres vulgavit libellos, *Methodi Carteſianæ Conſiderationem Theologicam*, *Abſterſionem Calumniarum*, & *Stateram Philoſophiæ Carteſianæ*. *In priori ſcripto dicit* p. 4. CARTESIUM Deo ſe ſimilem facere; p. 9. doctrinas malas, vanas, falſas, curioſas, ſuperſtitioſas, ipſas magorum impoſturas aliis commendare; p. 35. juventutem à ſtudiis ad militiam ac vagationes abducere, contemtum

bono-

bonorum autorum ac Sacræ Scripturæ invehere, viamq; ad Enthuſiaſmum & Scythicam barbariem ſternere; p. 39. credere externa omnia meras eſſe ludificationes ſomniorum à maligno genio, imò ab ipſo Deo ſibi immiſſas; ſtatuere nil planè eſſe in mundo, nullam terram, nullum cœlum, nullum aërem, nullum Deum: *In ultimo ſcripto dicit* p. 15. CARTESIUM putare cœcum & ſurdum eſſe Deum; p. 16. veriſſimo ſe Atheiſmo alligare; p. 25. tali dolo uti, quali VORSTIUS, OCHINUS, PELAGIUS; p. 29. Deum negare, & falſum de ejus attributis doctrinam tradere: *In medio ſcripto dicit*, Carteſianiſmum eſſe Væ, id eſt, κακὸν, συμφορὰν θεήλατον, quale Arminianiſmus, & haut paulò deteriorem; p. 271. omnem Pelagianiſmum exſuperaſſe; & quæ ſunt plura ſimilia.

REVIUM refutavit TOBIAS ANDREÆ, A. L M. in Incluta Groningæ & Omlandiæ Academiâ Hiſt. & Ling. Græc. Prof. Ord. edendo *Methodi Carteſianæ Aſſertionem*, in quâ *primò* diſ-

pungit Titulum Methodi Carteſianæ, ac ſi CARTESIUS Methodum cuilibet philoſophaturo præſcripſiſſet; *deinde* univerſam Panopliam Revianam exponit, eamq; mendacem, falſam, glorioſam, Thraſoniſticam, iniquam, convicioſam, calumnioſam, ſophiſticam, & puerilem exhibet; *porrò* Præfationem Revianam Chriſtianis Lectoribus verbo ſalutem, re peſtem propinare demônſtrat; *deniq;* ipſam Methodum Revianam ſtringit, & Methodi Carteſianæ Aſſertionem Philoſophicam ſimul & Scholaſticam adjungit.

Inſignia CARTESIO elogia tribuit ANDREÆ, & inter alia hoc addit: *CARTESIUS novo atq; æmulando cunctis verè* φιλοσόφοις, *imitando ſeriò* φιλοθεώροις καὶ φιλολόγοις, *at inimitabili* τοῖς φιλοδόξοις, μετεώροις, δοξοσόφοις, ματαιολόγοις *exemplo & quæſivit, & invenit, delineavit, inſtitit, viam Sapientiæ tam rectam, ac infallibilem, ut eâ progreſſus, conſultâ & ſic tandem penitùs inſpectâ atq; excuſſâ ipſâ rerum naturâ, primus abdita ejus igno-*

ignorata hactenus, recluſerit tam feliciter, ut nec ipſe, nec qui ejus veſtigia pedepreſſim ſecuti, ullius hactenus erroris in iis, quæ eâ viâ eruta protulêre, jure argui, multò minùs convinci potuerint, nec unquam convictum iri ſpes ſit, dum homines ſani ſyncipitis ac Philoſophi veri, ingenui, ſolidi, in mundo ſupererunt.

Magnam mehercle, non dico cœcam, aut Averrhoiſticam de certitudine ſcientiæ humanæ confidentiam! qualem PETRUS GASSENDUS narrat, dum Op. Phil. Tom. III. Exerc. Peripat. 2. ait, ſe noſſe celebrem quendam Philoſophiæ ſimul ac Theologiæ Profeſſorem, qui aſſeruit, ſe exiſtimare magnum iri Deo præſtitum obſequium, ſi proprio ſanguine obſignaſſet, confirmaſſetque, veriſſima eſſe, quæcunq; ARISTOTELIS operibus continentur.

Prætereà contra CARTESIUM ſcripſit *Novam Sapientiam*, & *Triumphatum Carteſium*, CYRIACUS LENTULUS, anteà in Gymnaſio Herbor-

nenſi, nunc Marburgi Profeſſor Politices, & Illuſtr. Naſſoviæ Principum & Comitum Hiſtoriographus, qui poſterius ſcriptum ſuum exiguo ære parabile ita concludit: *Habetis, candidi Lectores, Philoſophiam, ad graviora ſilentio aut conviciis, ad leviora calumniis & ineptiis, ad mediocria fugâ & tergiverſatione reſpondentem. Habetis Philoſophiam, quæ Superbiæ & Tumoris vento animatur, Mendaciorum ſtimulis movetur, Conviciorum telis præliatur, Calumniarum ſcuto tegitur, Impietatis vexillo dignoſcitur. Ineptiarum criſtâ tumet, Contradictionum fluctibus ſibi ipſi adverſatur; ipſum verò Philoſophum ſimul & Philoſophiam turbarum & ſeditionum ductu in aciem promotam. Sed quæ jam ſingula examinavimus, univerſa Lectorum oculis, ut turpitudo operis pateat, protrahamus. Spiritus Carteſianus* SUPERBUS, MENDAX, MALEDICUS, CALUMNIATOR, TURBULENTUS, INSIDIATOR, FUGAX, BLASPHEMUS, INCERTUS,

TUS, AUDAX, IMPIUS, INEPTUS, *ſibi* CONTRARIUS; *uno nomine, ingenio & actione* PRAVUS. *Hanc furiarum, imperioſo Duci militantium, catervam unà cum ipſo catenis injectam in triumphum duco. Veritati cum mendacio, luci cum tenebris, & his adjuncto vitiorum famulatu, pugnanti facilis vel negligenter præliando victoria fuit.* Huic clauſulæ & Victoriæ gravem ANDREÆ opponit invocationem ad Deum Immortalem, cordium ſcrutatorem, ac renum ſolumq; verum Veritatis ac Sapientiæ Judicem & Vindicem, quæ invocatio vel eum, cui nihil rei eſt cum Philoſophia Carteſiana, nedum LENTULUM perterrefacere debeat, ſi talis illa non eſt, qualis ab hoc depingitur.

Adverſus REVIUM & LENTULUM adornavit *Defenſionem Carteſianam* JOHANNES CLAUBERGIUS, in Publico Teutoburgenſi ad Rhenum Athenæo Profeſſor, Philoſophus doctiſſimus, &, quem unquam legi, modeſtiſſimus, qui ſua philoſo-

phandi libertate ita uſus eſt, ut neque diſſentientium quenquam arroganter depreſſerit, neq; communem Præceptorem minùs opportunè extulerit. Scripſit *Opera Phyſica*, quibus rerum corporearum vis & Natura, mentis ad corpus relatæ proprietates, deniq; corporis ac mentis arcta & admirabilis in homine conjunctio explicantur, quibus operibus acceſſit *Ontoſophia* ſeu Metaphyſica de Ente.

Inter modeſtioris generis Adverſarios, præfulget JOHANNES SCHULERUS liber. Art. Mag. Philoſophiæ Doctor & Profeſſor, qui concinnavit *Examinis Philoſophiæ Renati Des Cartes Specimen*, ſive brevem & perſpicuam Principiorum Philoſophiæ Carteſianæ Refutationem. Nuncupat CARTESIUM acutiſſimi ingenii Philoſophum, eumq; laudat, quòd tantiſper moderari ac cohibere nos mentis aſſenſum ab iis in rebus Philoſophicis voluerit, de quorum veritate non certò conſtat, quòdve mentem noſtram ab omnibus præjudiciis omninò liberan-

dam

dam eſſe, turpiſſimumq; ſervitutis jugum eſſe deponendum diligenter exhortatus ſit. Oſtendit in Examine potiſſimùm, de exiſtentia corporis non eſſe dubitandum; oſtendit naturam corpòris in communi non conſiſtere in extenſione, ubi ſpeciatim CLAUBERGII refutat argumenta; oſtendit non repugnare, dari vacuum; oſtendit atomos eſſe; oſtendit mundum non eſſe indefinitè extenſum, & alia plura. In Præf. ad lect. unicum denominat errorem CARTESII, ex quo, tanquam ex ſcaturigine, alii multi promanant. „ Nam inter errores CARTESII, ait, „ haut minimus nobis videtur vel ipſi- „ us corporis conceptus, dum eo nihil „ aliud ſignificari paſſim contendit, „ quàm ſimpliciter & in genere exten- „ ſum quid, ita ut quicquid ullo modo „ à nobis ut extenſum concipitur, illi- „ cò ſit corpùs. Ex hac unica vel fal- „ ſa Hypotheſi mirum, quot ſtatim er- „ rores tanquam fonte ſcaturiant. „ Cùm enim ipſi extenſum eſſe nihil „ aliud ſit, quàm non contineri pun-

„ cto aliquo indiviſibili, & extra illud
„ diffuſum eſſe; hinc mox deductum,
„ nullam qualitatem ſenſibilem, quam
„ patibilem vocant alii, nullum colo-
„ rem, ſaporem, odorem, aut aliquid
„ tale ad ipſius eſſentiam pertinere, &
„ conſequenter ſine iis eſſe poſſe; ita
„ ut tandem corpus in nihilum evane-
„ ſcat. Deinde quia nec locus aut ſpa-
„ cium punctum eſt, mox quoq; cum
„ corpore eſſe haut vanâ conſequentiâ
„ judicatum fuit; adeòq; nec vacuum
„ dari poſſe, ne quidem per abſolutam
„ Dei potentiam, cum contradictionẽ
„ involvere putetur aliquid extenſum
„ concipere, quod corpus aut materia
„ non ſit. Hinc porrò Atomos non
„ dari concluſum aut particulas indi-
„ viſibiles, & mundum eſſe infinitum
„ ſeu indefinitum, cùm extra illius ter-
„ minos, quicunq; concipiantur, nihil
„ aliud quàm extenſum quid concipi
„ queat; hoc verò eſſe corpus, ejusq;
„ conceptu includi; quinimò ne plu-
„ res quidem à Deo mundos condi
„ poſſe, aut etiam materiam.

SCHU-

SCHULERO modeſtior adhuc extitit PETRUS GASSENDUS, Dinienſis Eccleſiæ Præpoſitus, & in Academia Pariſienſi Matheſ. Prof. Regius, qui adverſus RENATI CARTESII Metaphyſicam & Reſponſa, ſcripſit *Disquiſitionem Metaphyſicam*, ſeu *Dubitationes & Inſtantias.* Beatum ſe deprædicat, quòd per MERSENNUM ſublimium CARTESII de prima Philoſophia Meditationum particeps factus ſit. *Quippe*, inquit in Epiſt. ad Carteſ. Disquiſit. præmiſſâ, *argumenti præſtantia, ingenii perſpicacia, nitorq; dictionis mirificè placuit, quare & lubens gratulor, quod animô adeò excelsô ac felici aggrederis ſcientiarum fines provehere, & res omnibus retrò ſeculis abſtruſiſſimas enucleare.* Et quanquam GASSENDUS amicè fuerit invitatus, ut ad CARTESIUM perſcriberet, ſi quis fortaſſis ſcrupulus ingereretur ſupereſſétve, fateri tamen non erubeſcit, quòd non niſi cum rubore audeat, ſuas Dubitationes & Inſtantias coram CARTESIO propalare, *quia*, inquit, *certo ſum*

ſum certior nullam eſſe earum, quæ non tibi pluries inter meditandum occurrerit, & quam tamen, certo conſilio vel contemſeris, vel cenſueris diſſimulandam.

Inter ſtrenuiores CARTESII Propugnatores invenio ADRIANUM HEEREBOORDUM, Profeſſorem Philoſophiæ in Academia Lugduno-Batava, qui quantum ob liberam ſuam philoſophandi rationem cum Collega ſuo D. DU BAN perpeſſus fuerit, quot tempeſtates, Rectore inprimis Magnifico OTTONE HEURNIO, tulerit, quótve impetus & ictus ex amore in CARTESIUM exceperit, videri poteſt in Epiſtola ad Curatores, præfixâ *Meletematibus*, quæ edidit, *Philoſophicis*, in quibus pleræq; res *Metaphyſicæ* ventilantur, tota *Ethica* explicatur, univerſa *Phyſica* per theoremata & Commentarios exponitur, ſumma rerum *Logicarum* per Diſputationes traditur. Blandulus, non propugnator, ſed baſiator mihi videtur DANIEL LIPSTORPIUS Lubecenſis, qui exhibet

Spe-

Specimina Philoſophiæ Carteſianæ, ubi in parte primâ, quæ agit de Certitudine Philoſophiæ Carteſianæ, præſtantiſſimos quosq; profert Mathematicos, ARCHIMEDEM, APPOLLONIUM, EUCLIDEM, DIOPHANTUM, XYLANDRUM, BOMBELLIUM, VIETAM, & BACCÆTUM, eorumque elogia longo recenſet ordine, omnium tamen illorum curas atq; labores divinâ ingenii vi ſuperâſſe RENATUM CARTESIUM, eoq; nomine inter eos, qui liberalium artium cultura cæteros antecelluerunt mortales, primum obtinere locum aſſeverat. Quid? quod ſolem nunquam CARTESIO excellentiorem Geometram & Philoſophum illuxiſſe, & univerſam Matheſin in hoc uno RENATO renatam eſſe affirmat.

Aſſeclis annumeramus etiam HENRICUM DE ROY Profeſſorem in Academia Leydenſi, quem dextrè ab initio dilexit CARTESIUS, eò quod multa docebat, quæ cum opinionibus Carteſianis conveniebant, adeò ut intra

tra paucos menſes, lectis CARTESII Dioptrica & Meteoris,indeq; aliquibus principiis deductis, integram *Phyſiologiam* concinnaverit. Hinc eum CARTESIUS paſſim variis honorum titulis mactavit, & nunc Medicinæ Profeſſorem digniſſimum, nunc vi ingenii ſingulari pollentem deprædicavit, cumq; REGIUS in nomenclatura cujusdam herbæ erraſſet, hominemq; aliquando Ens per Accidens nominaſſet, & ob id hæreſeos à Facultate Theologica Ultrajecti damnatus fuiſſet, eum CARTESIUS in Epiſtola ad VOËTIUM etiam atq; etiam excuſare laborat. Imò verò ingenio REGII tantum tribuit, ut parte octavæ l. c. ingenuè ſcriberet, ſe vix quicquam à REGIO ſcriptum putare, quod pro ſuo non libenter agnoſcat. At verò REGIUS vel acerbis Collegarum adverſantium cavillationibus defatigatus, vel aſſiduis tumultibus fractus, vel Theologorum Trajectinorum autoritate deterritus, vel minis, ſi pergeret, vel promiſſionibus, ſi abſtineret, adductus, ſenſum ſuum poſteà mutavit,

vit, placitaq; ſua, quæ ex CARTESIO hauſerat, tot pigmentis deformavit, ut non exiguam gratiam priſtinæ formæ amiſerint. Hinc in Notis ad Programma HENRICI DE ROY, ſub finem anni 1647. in Belgio editum, in quo explicatur quid Mens humana ſit, & quid eſſe poſſit, fateri cogitur RENATUS, *ſe pudore ſuffundi, quod antehac iſtum autorem, tanquam perſpicaciſſimi ingenii virum, laudaverit, atq; alicubi ſcripſerit, ſe non putare, ullas ab ipſo doceri opiniones, quas nollet pro ſuis agnoſcere. Sed nempe,* pergit ibidem, *quando iſta ſcribebam, nullum adhuc videram ejus ſpecimen, in quo fidus exſcriptor non fuiſſet, niſi tantùm ſemel in verbulo uno,* (Ente per Accidens,) *quod illi tam malè ceſſerat, ut ſperarem, nihil tale amplius eſſe auſurum; & quia videbam, ipſum in reliquis magno cum affectu opiniones amplecti, quas veriſſimas arbitrabar, id ejus ingenio & perſpicacitati tribuebam.* Paria de REGIO ſcribit in Epiſtola ad Interpretem Gallicum: *Nuper*

per expertus, ait, *fui, in aliquo eorum, qui maximè me ſequi velle credebatur, imò de quo alicubi ſcripſeram, me tantum tribuere ejus ingenio, ut non putarem, ipſum alicui opinioni adhærere, quam pro mea agnoſcere nollem. Nam ſuperiori anno librum ſub titulo* Fundamentorum Phyſicæ *edidit, in quo etſi nihil Phyſicam & Medicinam concernens ſcripſiſſe videatur, quod non deſumſit ex ſcriptis meis in lucem editis, & ex alio nondum perfecto* de Natura Animalium, *quod in manus ejus incidit, nihilominùs quia malè transſcripſit, & ordinem mutavit, veritatesq; quasdam Metaphyſicas, quibus tota Phyſica inniti debet, negavit, eum prorſus repudiare cogor, lectoresq; rogare, ne unquam opinionem aliquam mihi attribuant, niſi expreſsè eam in ſcriptis meis invenerint.*

Cautior aſſecla CARTESII deprehenditur LUDOVICUS DE LA FORGE, Medicinæ apud Salmurienſes Doctor, qui ſub finem Tractatus ſui de *Mente humana*, dicit, ſe nihil propoſuiſſe,

poſuiſſe, niſi quod in ſcriptis D. Deſcartes invenitur, aut per conſequentias neceſſarias ex primis veritatibus, quas in Metaphyſica ſua demonſtravit, deduci poſſit.

Cæterùm CARTESIO adhæſerunt illuſtris CLAUDIUS SALMASIUS; SAMUEL MARESIUS, & ABRAHAMUS HEIDANUS, Theologiæ Doctores & Profeſſores, ille Groningæ, hic Lugduni in Batavia; contra priorem illum Specimen Confutationis edidit de Abuſu Philoſophiæ Carteſianiæ PETRUS ab ANDLO; JACOBUS GOLIUS, & FRANCISCUS SCHOTENIUS, Mathematici celebres; JOHANNES TATINGHOFF, Facultatis Philoſophicæ in Academia Wittebergenſi Adjunctus; GOTHOFREDUS ab HASTRECHT, Nobilis Leodicenſis; CORNELIUS HOOGLAND, Nobilis Batavus; Monſ. PICOT Nobilis Gallus; Monſ. CHILOT, poſt Portugalliæ Regis Mathematicus; FLORIMONDUS DE BEAUNE, qui ſcripſit notas in Geo-

me-

metriam Renati Des Cartes; P. MARINUS MERCENNUS Minorita; JOH. BAPTISTA MORINUS; FABRICIUS de la BASSECOUR, qui ſcripſit *Defenſionem Carteſianam* adverſus JOHANNEM SCHULERUM, & alii adhuc plures Viri & eruditione, & famâ, & dignitate præeminentes.

CAPUT VI.

De JUDICIIS *De* *PHILOSOPHIA CARTESIANA.*

CUm JOHANNES CLAUBERGIUS & CYRIACUS LENTULUS ſimultanei eſſent Herbornæ in Profeſſione Philoſophicâ Collegæ, & ille pro CARTESIO, hic verò contra CARTESIUM diu multumq; militaſſet, jamq; acres contentiones & civiles tumultus in Gymnaſio dicto ſuboriri inci-

inciperent, LUDOVICO HENRICO, Comiti Naſſoviæ, non aliter commune malum extingui & exacerbatos animos in viam mitiorem redigi poſſe viſum eſt, quàm ſi liti decidendæ judicia accerſerentur Belgicarum Academiarum, ad quas ita ſcripſit:

LUDOVICUS HENRICUS,
Comes in Naſſau, Cattimelibocorum, Viandæ, & Deciæ, Dominus in Beilſtein, &c.

Nobilibus, Reverendis, Conſultiſſimis, Experientiſſimis & Clariſſimis

Viris, Dom. Rectori & Profeſſoribus inclitæ Academiæ I. LUGDUNENSIS Batavìæ. II. GRÖNINGENSIS. III. ULTRAIECTINÆ. IV. FRANEKERANÆ. V. HARDERVICENSIS,

Omnibus ac ſingulis, Amicis noſtris dilectis.

QUodnam docendi ac diſcendi genus tam in S.S. Theologia, quàm cæteris facultatibus, ſaniore præſertim Philoſophiâ, in illuſtri noſtra Schola Herbornenſi à prima ejus fundatione,

quæ

quæ in annum 1584. ſeculi proximè ſuperioris incidit, ad præſentia usque tempora receptum fuerit atque uſitatum, verboſius referre, ſupervacaneum judicamus. — — — Nova hæc docendi ratio (quâ ſcilicet juventuti Carteſiana Philoſophia cautè primùm, deinde audacius inculcabatur) à nonnullis Studioſis præſertim, applauſu haut vulgari aliquandiu fuit excepta; donec veterum Philoſophiam profitentibus videretur plus illam remoræ & periculi ad Facultates ſuperiores, Theologiam præcipuè, quàm adminiculi adferre, atq; adeò de nova illa Philoſophia eliminanda haut ſegniter apud nos inſtarent. — — — Ideòq; vos omnes & ſingulos obnixè rogamus, & boni omnium Reformatorum publici causâ obteſtamur, ut nobis mentem veſtram de Philoſophia Carteſiana, deq; eâ in ſcholas recipiendâ, vel excludendâ, tum etiam, an ea publicè in Academia veſtra doceatur, & recepta ſit, quantocyus candidè & ſincerè impertiri dignemini. — — — Dabantur

tur in Caſtro noſtro Dillenburg Kal. Jul. 1651.

LUGDUNENSIUM DECRETUM.

Illuſtriſſime atq; Excellentiſſime DOMINE,

Domine Ludovice Henrice, Comes in Naſſau, Cattimelibocorum, Viandæ, & Deciæ, Domine in Beilſtein, &c.

SAtis exprimi verbis non poteſt, quàm grata nobis ſollicitudo illa ac cura fuerit, quam, ex ingenita excelſi animi generoſitate ac benignitate, pro incolumitate Academiæ ſuæ Excellentia tua nobis iis literis, quas ante aliquod tempus ad nos ſcribere dignata eſt, humaniſſimè teſtatur, quas Cal. Jul. datas, vigeſimo demùm ac quarto Septembris accepimus. Porrò quemadmodum ex parte nihil nobis gratius fuit, quàm incolumitas ejus Academiæ

ac felix ſucceſſus, ita ex animo doluit, intellexiſſe ex iisdem nos, quasdam de Carteſiana Philoſophia contentiones inter Profeſſores ac diſſidia exorta eſſe. Quod cum & nobis ante tempus aliquod evenerit, quàm primum huic rei, idq; conſervandæ pacis publicæ cauſâ, D. D. Curatores Urbisq; Conſules pro prudentia ſua, occurrendum judicarunt. Hoc quidem modo, ut in Academia intra Ariſtotelicæ Philoſophiæ limites, quæ hîc hactenus recepta fuit, nos contineamus, utque inpoſterum, nec Philoſophiæ, neq; nominis Carteſiani, in Diſputationibus, Lectionibus, aut publicis aliis exercitiis, nec pro, nec contra mentio fiat. — — — Lugduni Batav. an. 1651. Octobr. 12.

Praſ. Dillenburg d. 30. Oct. 1651.

Rector ac Senatus Academiæ Lugduno-Batavæ, & cum iis, qui eorum nomine hæc ſcripſit

Daniel Heinſius, Acad à ſecretis.

UL-

ULTRAJECTENSIUM DECRETUM.

Perilluſtris & Generoſisſime Comes, &c.

— — — UT igiur poſtulationi huic ſatis fiat, viſum fuit, Generoſitatem Veſtram participem facere illius judicii, quod olim Senatus noſter Academicus de Philoſophia Carteſiana protulit, quodque poſteà inter leges & ſtatuta Academica autoritate ampliſſimi Senatus Urbani relatum, & ſubſecuta obſervantia Philoſophiæ Profeſſorum comprobatum eſt. *Verba judicii ſic ſe habent:* Profeſſores Acad. Ultraj. rejicere novam iſtam Philoſophiam; primò quia veteri Philoſophiæ, quam Academiæ toto orbe terrarum hactenus optimo conſilio docuêre, adverſatur, ejusq; fundamenta ſubvertit; deinde, quia juventutem à vetere & ſana Philoſophia avertit, impeditq; quò minus ad culmen eruditionis provehatur, eò quod iſtius præſumtæ Philoſophiæ adminiculo technologemata in auctorum libris Profeſſorumque le-

ctionibus & diſputationibus uſitata, percipere nequit; Poſtremò quòd ex eadem variæ falſæ & abſurdæ opiniones partim conſequantur, partim ab improvida juventute deduci poſſint pugnantes cum cæteris diſciplinis & facultatibus, atq; inprimis cum orthodoxa Theologia: cenſere igitur ac ſtatuere, omnes Philoſophiam in hac Academia docentes impoſterum à tali inſtituto & incepto abſtinere debere, contentos modicâ libertate diſſentiendi in ſingularibus nonnullis opinionibus ad aliarum celebrium Academiarum exemplum hic uſitata, ita ut veteris & receptæ Philoſophiæ fundamenta non labefactent, & in eo etiam atq; etiam laborent, ut Academiæ tranquillitas in omnibus ſarta tecta conſervetur. Ultraj. d. 17. Mart. 1642. *Excerpta ex legibus Academicis hæc ſunt*: Philoſophi ab ARISTOTELIS Philoſophia non recedunto, neq; publicè, neq; privatim propugnatores abſurdorum Paradoxorum, novorum dogmatum ab Ariſtotelis doctrina diſcrepantium non ferun-

runtor: profanæ opiniones, aut damnatæ propoſitiones non defenduntor. Et ita Philoſophia docetor, ut ne doctrina Eccleſiæ traducatur, aut inutiles reddantur, qui aſpirant ad ſtudia ſuperiorum Facultatum. Act. 8. Cal. Septembr. an. 1643. Dabamus Ultrajecti d. 18. Septembr. an. 1651.

Præſ. Dillenburg. d. 30. Oct. 1651. Rector & Profeſſores Acad. Ultraj. eorumq; juſſu ac nomine

Joan. Niportius, Secret.

DECRETUM GRONINGENSE.

Illuſtriſſime ac Generoſiſſime Comes, &c.

— — — Fuit, ut ajunt, Carteſius genere Nobilis, gente Gallus, Pontificius religione, quamvis Pontificiarum ſuperſtitionum, quantum audimus, ſatis ſecurus, etiam in ſua morte: ingenio fuit Philoſophico, & præſertim Mathematicus inſignis, & ut quidem ipſius admiratores judicant, hoc noſtro ævo alter vel Archimedes,

ſum certior nullam eſſe earum, quæ non tibi pluries inter meditandum occurrerit, & quam tamen, certo conſilio vel contemſeris, vel cenſueris diſſimulandam.

Inter ſtrenuiores CARTESII Propugnatores invenio ADRIANUM HEEREBOORDUM, Profeſſorem Philoſophiæ in Academia Lugduno-Batava, qui quantum ob liberam ſuam philoſophandi rationem cum Collega ſuo D. DU BAN perpeſſus fuerit, quot tempeſtates, Rectore inprimis Magnifico OTTONE HEURNIO, tulerit, quótve impetus & ictus ex amore in CARTESIUM exceperit, videri poteſt in Epiſtola ad Curatores, præfixâ *Meletematibus*, quæ edidit, *Philoſophicis*, in quibus pleræq; res *Metaphyſicæ* ventilantur, tota *Ethica* explicatur, univerſa *Phyſica* per theoremata & Commentarios exponitur, ſumma rerum *Logicarum* per Diſputationes traditur. Blandulus, non propugnator, ſed baſiator mihi videtur DANIEL LIPSTORPIUS Lubecenſis, qui exhibet

Spe-

Specimina Philoſophiæ Carteſianæ, ubi in parte primâ, quæ agit de Certitudine Philoſophiæ Carteſianæ, præſtantiſſimos quosq; profert Mathematicos, ARCHIMEDEM, APPOLLONIUM, EUCLIDEM, DIOPHANTUM, XYLANDRUM, BOMBELLIUM, VIETAM, & BACCÆTUM, eorumque elogia longo recenſet ordine, omnium tamen illorum curas atq; labores divinâ ingenii vi ſuperâſſe RENATUM CARTESIUM, eoq; nomine inter eos, qui liberalium artium cultura cæteros antecelluerunt mortales, primum obtinere locum aſſeverat. Quid? quod ſolem nunquam CARTESIO excellentiorem Geometram & Philoſophum illuxiſſe, & univerſam Matheſin in hoc uno RENATO renatam eſſe affirmat.

Aſſeclis annumeramus etiam HENRICUM DE ROY Profeſſorem in Academia Leydenſi, quem dextrè ab initio dilexit CARTESIUS, eò quod multa docebat, quæ cum opinionibus Carteſianis conveniebant, adeò ut intra

tra paucos menſes, lectis CARTESII Dioptrica & Meteoris, indeq; aliquibus principiis deductis, integram *Phyſiologiam* concinnaverit. Hinc eum CARTESIUS paſſim variis honorum titulis mactavit, & nunc Medicinæ Profeſſorem digniſſimum, nunc vi ingenii ſingulari pollentem deprædicavit, cumq; REGIUS in nomenclatura cujusdam herbæ erraſſet, hominemq; aliquando Ens per Accidens nominaſſet, & ob id hæreſeos à Facultate Theologica Ultrajecti damnatus fuiſſet, eum CARTESIUS in Epiſtola ad VOËTIUM etiam atq; etiam excuſare laborat. Imò verò ingenio REGII tantum tribuit, ut parte octava l. c. ingenuè ſcriberet, ſe vix quicquam à REGIO ſcriptum putare, quod pro ſuo non libenter agnoſcat. At verò REGIUS vel acerbis Collegarum adverſantium cavillationibus defatigatus, vel aſſiduis tumultibus fractus, vel Theologorum Trajectinorum autoritate deterritus, vel minis, ſi pergeret, vel promiſſionibus, ſi abſtineret, adductus, ſenſum ſuum poſteà mutavit,

vit, placitaq; ſua, quæ ex CARTESIO hauſerat, tot pigmentis deformavit, ut non exiguam gratiam priſtinæ formæ amiſerint. Hinc in Notis ad Programma HENRICI DE ROY, ſub finem anni 1647. in Belgio editum, in quo explicatur quid Mens humana ſit, & quid eſſe poſſit, fateri cogitur RENATUS, *ſe pudore ſuffundi, quod antehac iſtum autorem, tanquam perſpicaciſſimi ingenii virum, laudaverit, atq; alicubi ſcripſerit, ſe non putare, ullas ab ipſo doceri opiniones, quas nollet pro ſuis agnoſcere.* *Sed nempe*, pergit ibidem, *quando iſta ſcribebam, nullum adhuc videram ejus ſpecimen, in quo fidus exſcriptor non fuiſſet, niſi tantùm ſemel in verbulo uno*, (Ente per Accidens,) *quod illi tam malè ceſſerat, ut ſperarem, nihll tale amplius eſſe auſurum; & quia videbam, ipſum in reliquis magno cum affectu opiniones amplecti, quas veriſſimas arbitrabar, id ejus ingenio & perſpicacitati tribuebam.* Paria de REGIO ſcribit in Epiſtola ad Interpretem Gallicum: *Nuper*

per expertus, ait, *fui, in aliquo eorum, qui maximè me ſequi velle credebatur, imò de quo alicubi ſcripſeram, me tantum tribuere ejus ingenio, ut non putarem, ipſum alicui opinioni adhærere, quam pro mea agnoſcere nollem. Nam ſuperiori anno librum ſub titulo* Fundamentorum Phyſicæ *edidit, in quo etſi nihil Phyſicam & Medicinam concernens ſcripſiſſe videatur, quod non deſumſit ex ſcriptis meis in lucem editis, & ex alio nondum perfecto* de Natura Animalium, *quod in manus ejus incidit, nihilominùs quia malè transſcripſit, & ordinem mutavit, veritatesq́; quasdam Metaphyſicas, quibus tota Phyſica inniti debet, negavit, eum prorſus repudiare cogor, lectoresq́; rogare, ne unquam opinionem aliquam mihi attribuant, niſi expreſsè eam in ſcriptis meis invenerint.*

Cautior aſſecla CARTESII deprehenditur LUDOVICUS DE LA FORGE, Medicinæ apud Salmurienſes Doctor, qui ſub finem Tractatus ſui de *Mente humana*, dicit, ſe nihil propoſuiſſe,

poſuiſſe, niſi quod in ſcriptis D. Deſcartes invenitur, aut per conſequentias neceſſarias ex primis veritatibus, quas in Metaphyſica ſua demonſtravit, deduci poſſit.

Cæterùm CARTESIO adhæſerunt illuſtris CLAUDIUS SALMASIUS; SAMUEL MARESIUS, & ABRAHAMUS HEIDANUS, Theologiæ Doctores & Profeſſores, ille Groningæ, hic Lugduni in Batavia; contra priorem illum Specimen Confutationis edidit de Abuſu Philoſophiæ Carteſianiæ PETRUS ab ANDLO; JACOBUS GOLIUS, & FRANCISCUS SCHOTENIUS, Mathematici celebres; JOHANNES TATINGHOFF, Facultatis Philoſophicæ in Academia Wittebergenſi Adjunctus; GOTHOFREDUS ab HASTRECHT, Nobilis Leodicenſis; CORNELIUS HOOGLAND, Nobilis Batavus; Monſ. PICOT Nobilis Gallus; Monſ. CHILOT, poſt Portugalliæ Regis Mathematicus; FLORIMONDUS DE BEAUNE, qui ſcripſit notas in Geome-

metriam Renati Des Cartes; P. MARINUS MERCENNUS Minorita; JOH. BAPTISTA MORINUS; FABRICIUS de la BASSECOUR, qui ſcripſit *Defenſionem Carteſianam* adverſus JOHANNEM SCHULERUM, & alii adhuc plures Viri & eruditione, & famâ, & dignitate præeminentes.

CAPUT VI.

De JUDICIIS *De* *PHILOSOPHIA CARTESIANA.*

CUm JOHANNES CLAUBERGIUS & CYRIACUS LENTULUS ſimultanei eſſent Herbornæ in Profeſſione Philoſophicâ Collegæ, & ille pro CARTESIO, hic verò contra CARTESIUM diu multumq; militaſſet, jamq; acres contentiones & civiles tumultus in Gymnaſio dicto ſuboriri inci-

inciperent, LUDOVICO HENRICO, Comiti Naſſoviæ, non aliter commune malum extingui & exacerbatos animos in viam mitiorem redigi poſſe viſum eſt, quàm ſi liti decidendæ judicia acc-cerſerentur Belgicarum Academiarum, ad quas ita ſcripſit:

LUDOVICUS HENRICUS,
Comes in Naſſau, Cattimelibocorum,
Viandæ, & Deciæ, Dominus in
Beilſtein, &c.

Nobilibus, Reverendis, Conſultiſſimis, Experientiſſimis & Clariſſimis

Viris, Dom. Rectori & Profeſſoribus inclitæ Academiæ I. LUGDUNENSIS Bataviæ. II. GRÖNINGENSIS. III. ULTRAIECTINÆ. IV. FRANEKERANÆ. V. HARDERVICENSIS,

Omnibus ac ſingulis, Amicis noſtris dilectis.

QUodnam docendi ac diſcendi genus tam in S.S. Theologia, quàm cæteris facultatibus, ſaniore præſertim Philoſophiâ, in illuſtri noſtra Schola Herbornenſi à prima ejus fundatione, quæ

quæ in annum 1584. ſeculi proximè ſuperioris incidit, ad præſentia usque tempora receptum fuerit atque uſitatum, verboſius referre, ſupervacaneum judicamus. — — — Nova hæc docendi ratio (quâ ſcilicet juventuti Carteſiana Philoſophia cautè primùm, deinde audacius inculcabatur) à nonnullis Studioſis præſertim, applauſu haut vulgari aliquandiu fuit excepta, donec veterum Philoſophiam profitentibus videretur plus illam remoræ & periculi ad Facultates ſuperiores, Theologiam præcipuè, quàm adminiculi adferre, atq; adeò de nova illa Philoſophia eliminanda haut ſegniter apud nos inſtarent. — — — Ideòq; vos omnes & ſingulos obnixè rogamus, & boni omnium Reformatorum publici causâ obteſtamur, ut nobis mentem veſtram de Philoſophia Carteſiana, deq; eâ in ſcholas recipiendâ, vel excludendâ, tum etiam, an ea publicè in Academia veſtra doceatur, & recepta ſit, quantocyus candidè & ſincerè impertiri dignemini. — — — Dabantur

tur in Caſtro noſtro Dillenburg Kal. Jul. 1651.

LUGDUNENSIUM DECRETUM.

Illuſtriſſime atq; Excellentiſſime DOMINE,

Domine Ludovice Henrice, Comes in Naſſau, Cattimelibocorum, Viandæ, & Deciæ, Domine in Beilſtein, &c.

SAtis exprimi verbis non poteſt, quàm grata nobis ſollicitudo illa ac cura fuerit, quam, ex ingenita excelſi animi generoſitate ac benignitate, pro incolumitate Academiæ ſuæ Excellentia tua nobis iis literis, quas ante aliquod tempus ad nos ſcribere dignata eſt, humaniſſimè teſtatur, quas Cal. Jul. datas, vigeſimo demùm ac quarto Septembris accepimus. Porrò quemadmodum ex parte nihil nobis gratius fuit, quàm incolumitas ejus Academiæ

ac felix ſucceſſus, ita ex animo doluit, intellexiſſe ex iisdem nos, quasdam de Carteſiana Philoſophia contentiones inter Profeſſores ac diſſidia exorta eſſe. Quod cum & nobis ante tempus aliquod evenerit, quàm primum huic rei, idq; conſervandæ pacis publicæ causâ, D. D. Curatores Urbisq; Conſules pro prudentia ſua, occurrendum judicarunt. Hoc quidem modo, ut in Academia intra Ariſtotelicæ Philoſophiæ limites, quæ hîc hactenus recepta fuit, nos contineamus, utque inpoſterum, nec Philoſophiæ, neq; nominis Carteſiani, in Diſputationibus, Lectionibus, aut publicis aliis exercitiis, nec pro, nec contra mentio fiat. — — — Lugduni Batav. an. 1651. Octobr. 12.

Præſ. Dillenburg d. 30. Oct. 1651.

Rector ac Senatus Academiæ Lugduno-Batavæ, & cum iis, qui eorum nomine hæc ſcripſit

Daniel Heinſius, Acad. à ſecretis.

UL-

ULTRAJECTENSIUM DECRETUM.

Perilluſtris & Generoſisſime Comes, &c.

— — — UT igiur poſtulationi huic ſatis fiat, viſum fuit, Generoſitatem Veſtram participem facere illius judicii, quod olim Senatus noſter Academicus de Philoſophia Carteſiana protulit, quodque poſteà inter leges & ſtatuta Academica autoritate ampliſſimi Senatus Urbani relatum, & ſubſecuta obſervantia Philoſophiæ Profeſſorum comprobatum eſt. *Verba judicii ſic ſe habent :* Profeſſores Acad. Ultraj. rejicere novam iſtam Philoſophiam; primò quia veteri Philoſophiæ, quam Academiæ toto orbe terrarum hactenus optimo conſilio docuêre, adverſatur, ejusq; fundamenta ſubvertit; deinde, quia juventutem à vetere & ſana Philoſophia avertit, impeditq; quò minus ad culmen eruditionis provehatur, eò quod iſtius præſumtæ Philoſophiæ adminiculo technologemata in auctorum libris Profeſſorumque le-

ctionibus & diſputationibus uſitata, percipere nequit; Poſtremò quòd ex eadem variæ falſæ & abſurdæ opiniones partim conſequantur, partim ab improvida juventute deduci poſſint pugnantes cum cæteris diſciplinis & facultatibus, atq; inprimis cum orthodoxa Theologia: cenſere igitur ac ſtatuere, omnes Philoſophiam in hac Academia docentes impoſterum à tali inſtituto & incepto abſtinere debere, contentos modicâ libertate diſſentiendi in ſingularibus nonnullis opinionibus ad aliarum celebrium Academiarum exemplum hic uſitata, ita ut veteris & receptæ Philoſophiæ fundamenta non labefactent, & in eo etiam atq; etiam laborent, ut Academiæ tranquillitas in omnibus ſarta tecta conſervetur. Ultraj. d. 17. Mart. 1642. *Excerpta ex legibus Academicis hæc ſunt*: Philoſophi ab ARISTOTELIS Philoſophia non recedunto, neq; publicè, neq; privatim propugnatores abſurdorum Paradoxorum, novorum dogmatum ab Ariſtotelis doctrina diſcrepantium non ſerun-

runtor: profanæ opiniones, aut damnatæ propoſitiones non defenduntor. Et ita Philoſophia docetor, ut ne doctrina Eccleſiæ traducatur, aut inutiles reddantur, qui aſpirant ad ſtudia ſuperiorum Facultatum. Act.8.Cal.Septembr. an.1643. Dabamus Ultrajecti d. 18.Septembr. an. 1651.

Præſ. Dillenburg. d.30.Oct.1651.

Rector & Profeſſores Acad. Ultraj. eorumq; juſſu ac nomine

Joan. Niportius, Secret.

DECRETUM GRONINGENSE.

Illuſtriſſime ac Generoſiſſime Comes, &c.

— — — Fuit, ut ajunt, Carteſius genere Nobilis, gente Gallus, Pontificius religione, quamvis Pontificiarum ſuperſtitionum, quantum audimus, ſatis ſecurus, etiam in ſua morte: ingenio fuit Philoſophico, & præſertim Mathematicus inſignis, & ut quidem ipſius admiratores judicant, hoc noſtro ævo alter vel Archimedes,

vel Euclides. Is cùm in Belgio ocii & ſeceſſus ſui ſedem fixiſſet, dum in aliis Philoſophicis diſciplinis talia quærit fundamenta, quæ Mathematicas ſuas demonſtrationes certitudine & veritate æquarent; etiam ferè, priusquam aliquid hujus generis in publicum emiſiſſet, apud nonnullos viros eximios venit in ſuſpicionem, quaſi monſtra periculoſa foveret in ſinu, per quæ & ſanior Philoſophia, & orthodoxa Theologia funditùs everterentur. Et ubi ſuam mentem amplius explicuit, ut à nonnullis cum applauſu, ſic ab aliis cum cenſura & indignatione fuit exceptus. Quamvis autem nolimus eſſe hîc Palæmones, aut noſtra præjudicia opponere aliorum judiciis, id ſaltem poſſumus hiſtoricè referre, quod etiam in duabus illis Academiis Belgii Leidenſi atq; Ultrajectana, in quibus hæc eruditalis cœpit agitari, ſuperſunt Profeſſores publici, viri celebres, & docti, qui aliis in contrarium euntibus, libertati litant, nec ſine quodam applauſu Auditorum ſuorum tum in Diſputationibus,

bus, tum in Lectionibus ſuis publicis, quæ ſic vocantur, Carteſii placita tuentur: ut publicâ autoritate hactenus magis, quàm Coimbricenſia, vel Suareſiana, nec recepta, nec proſcripta fuerint. Hoc noſtrum quod ſpectat Athenæum, ex illius primæva inſtitutione & legibus, ad Ariſtotelis Philoſophiam retinendam Profeſſores Philoſophi tenentur; quod tamen cum commoderamine ſumitur, ut in ſolius Dei verba juremus, nec, ſi quid novæ lucis affulſerit, Ariſtoteli & Veteribus inviſum, ad naturæ phænomena certius percipienda, & commodiùs explicanda, ſolô novitatis titulô eſſe rejiciendum arbitremur: amici nobis ſunt Socrates, Plato, Ariſtoteles, Coimbricenſes, Suareſius, Ramus, Carteſius, ſed magis amica veritas. Hanc non ex perſonis, ſed perſonas ex illa æſtimamus. Hoc addimus, quædam à nonnullis ceu Carteſiana vel jactari vel impugnari, quæ ante Carteſium alii tum Philoſophi ſubtiles, tum Theologi orthodoxi tuiti ſunt; ut quòd omnibus innata & inſita ſit naturaliter

 Dei

Dei cognitio, quòd corporis in genere materia & eſſentia in extenſione ſita ſit, quod Accidens quodlibet non tam Ens ſit, quàm Entis, quia illius eſſe eſt ineſſe, ut ſeparatim ab omni ſubjecto exiſtere non poſſit; quòd libertas arbitrii in ſe ſit immunitas à coactione; quòd vacuum ſuâ notione implicet contradictionem, & accidens ſine ſubjecto, adeò ut ne quidem poſſint concipi duo mundi à ſe mutuò per merum nihil diſcreti & ſeparati ; etſi hunc quem unicum creavit Deus, poſſet Conditor pro infinita ſua potentia usq; & usq; extendere & ampliare. Etiam diu eſt, quod in ſcholis diſputatum fuit de formis ſubſtantialibus beſtiarum & plantarum, an ſint, & quid ſint, licet illa controverſia occaſione philoſophematum Carteſianorum recruduerit.

Verum enimverò, Illuſtriſſime & Generoſiſſime Comes, cum vix nobis probabile ſit, propter hæc & ſimilia potuiſſe illuſtris veſtræ ſcholæ pacem & harmoniam conturbari, aut quempiam ex veſtris Profeſſoribus in heterodo-

xiæ

xiæ ſuſpicionem venire apud reliquos Collegas, & charitas tamen ab alia parte vetet, aliquid ſequius ſuſpicari de illis duobus, qui aliquandiu apud nos vixerunt, cum toto illo tempore nihil potuerimus in ipſis deprehendere, quod ab eruditæ & piæ Orthodoxiæ tramite deviaret, nihil magis nobis eſt in votis, quàm paullò diſtinctius erudiri de iis capitibus, quæ illis imputantur, quò certius & accuratius de ſingulis promamus judicium. Id dum præſtolamur -- — — Gröningæ d. 17. Sept. an. 1651.

Rector & Profeſſores Academiæ Provincialis Illuſtrium ac Præpotentum D.D. Ordinum Gyroningæ & Omlandiæ, & ego juſſu Magnifici Rectoris

Franciſcus Junius, F.H.I.V.D. ac P.p.t. Acad. Secret.

JUDICIUM HARDE-VICENSIUM.

Illuſtriſſimo & Generoſiſſimo Dom. Domino

LUDOVICO HENRICO

&c. &c. &c.

Salutem & Obſequia,

Illuſtriſſime & Generoſiſſime Domine Comes,

QUod ad nos literas Excellentia Veſtra dederat Kal. Jul. eas die quarto decimo Septembr. accepimus; curamq; & ſollicitudinem pro Incolumitate Illuſtris veſtri Gymnaſii & diſciplinarum integritate non agnovimus modò, ſed etiam non potuimus non probare. Eò magis etiam officii noſtri eſſe putavimus, quàm celerrimè & ſinceriſſimè ad ea reſcribere, quæ tanto quærit ſtudio Veſtra Excellentia. Magna quidem & ad omnes Academias pertinens quæſtio de Carteſianiſmo ſive illo Philoſophiæ genere, quod Renatus Carteſius excitavit primò, deinde in lucem & opiniones quorundam introduxit. Neq; ignoramus quàm varia ſint mul-

multorum de eadem Philoſophia judicia, quamq; diſſimiles animorum habitus. Quæ tamen tanti non ſunt, ut minus propterea ſenſum noſtrum noſtræque ſtatum Academiæ roganti V. Excell. exponere auderemus. Renatum Carteſium Mathematicum fuiſſe ſummum omnes uno ore fatentur, neq; in ea illum arte ſuperiorem ſuo ſeculo habuiſſe, neq; fortaſſis multis ſequentibus habiturum. Doctrina ejus in naturalibus magnam partem non contemnenda, ejusmodi ſaltem, ut paucis exceptis, Medicinæ aut nihil, aut parùm, admodum periculi noxæve inferat. Cæteram autem ejus Philoſophiam, ſi Metaphyſicam ſpectamus, peſtiferam Theologiæ judicarunt Viri maximi, eòq; damnarunt eam, & meritò rejiciendam putarunt. Atq; hic ſenſus eſt noſter de Philoſophia, quam Carteſianam vulgò ab auctore vocant. Quod ad Academiæ autem noſtræ inſtitutum attinet, nos Philoſophiam antiquam illam Peripateticorum, quæq; totam rationem Ariſtotelicam complectitur, ſolam atq;

unicam publicè privatimq; docemus ſemperq; etiam docturi ſumus; ac ne nova aliqua in eam inferatur, quanta fieri cura poterit, diligenter ſollicitèq; providebimus. Neq; Auctores eſſemus, ſalvo Excell. V. judicio, ut aliam, quàm quæ à fundamentis illuſtris ejus Gymnaſii hactenus obtinuit, pateretur introduci, antiquam illam porrò excolere ſpretis nonnullorum novis opinionibus fore arbitramur Prudentiæ Veſtræ. Deum Opt. Max. rogamus, ut Excell. V. plurimos annos quàm feliciſſimos agat, & in illuſtri laude florentem Scholam Naſſovicam aliis atq; aliis ſemper ornamentis adaugeat. Hardevici IV. Kal. Octobr. 1651.

Excell. Veſtræ

devotiſſimi

Gisbertus ab Iſendoorn Med. Lic. Phil. primæ Prof. Academiæ Ducalis p. t. Rector.

Profeſſores Acad. Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ, eorumq; nomine

Cornelius Tollius, Prof. Curatorum & Acad. Secret.

JUDI-

JUDICIUM

Maxumè Reverendi, Ampliſſimi, & Excellentiſſimi Domini

JOHANN-ADAMI OSIANDRI,

ut Theologi incomparabilis, ita & Philoſophi perſpicaciſſimi.

CUm laudatiſſimus jam Vir in Tractatu ſuo, quem *Deum in Lumine Naturæ repræſentatum* inſcribit, argumentum CARTESII, quô exiſtentiam Dei per ideas invictiſſimè contra Atheos demonſtrare conatus fuit, ſolidiſſimè refutaſſet, ſuam de Methodo Carteſiana ἐπίκρισιν §. XXIV. Exerc. V. addit, dicitque: *Quicquid ſit de Carteſio, qui, ut Heroſtratus ille, ex facibus ardentibus, Dianæ Epheſinæ templo illatis, nominis perpetuitatem conſecutus eſt, conquerentibus quàm multis Batavis, diſplicet in illius Methodo, I. IMPERATA OMNIUM NOTIONUM DELETIO. II. NOVATURIENTIS INGENII VANITAS. III. IPSORUM PRINCIPIORUM INFIRMITAS.* Cùmq; tres has poſitiones variis ratiociniis pla-

nas feciſſet, & à variis Carteſianorum exceptionibus liberaſſet, tandem concludit: *fuerit* RENATUS DES CARTES *Brutus literarius autoritatis exuens tyrannidem, Repumicator mentis, ſubtilitatis terebra; ſubverterit, Clariſſimo* GOLIO *teſte, veterum omnium & recentiorum ingenia, & in Matheſi præſtiterit, quod vires humanæ mentis videtur ſuperare; diſſolverit quicquid olim habitum fuit ἄλυτον, in hoc tamen negotio* (quô Dei exiſtentiam neceſſariam contra Atheos per ideas demonſtrare voluit) *Atlantem, aut alterum quendam Eliam non ſeſe erudito Orbi præſtitit.*

JUDICIUM

Viri Excellentiſſimi

D. JOHANN-CHRISTIANI

Frommanns Med. D. Coburgi,

quod in literis die Jacobi an. 1665. transmiſit

Viro Excellentiſſimo

D. LAURENTIO STRAUSSIO

Medic. Doct. & Prof. Publ. Ord. Giſſæ,

Patrono & Precept. meo colendiſſimo,

Inge-

INgenii fertilitatem in Carteſio ſæpè ſum admiratus. Sed imitari videtur Poëtas, qui ſpecioſo variarum circumſtantiarum apparatu ſuis fidem apud ſimpliciores conciliant, apud cultiores amittunt. Ita ſua tractat ille, ut magno & ſpecioſo rationum apparatu rebus (quarum tamen evictionem ſufficientem nondum præſtitit) gratiam & fidem conciliare laboret: quam quidem apud ſimpliciores aut ſimili opinione jam ante faſcinatos, ſed non apud doctiores facere poteſt. Maximè verò in morte, quam Holmiæ febre acutâ laborans, & ſuis principiis inſiſtens, vino Hiſpanico acceleravit, --- vitæ jacturam eſt paſſus, Democrito affinis, quamvis talis eſſe renuerit. Materiam & Motum tantùm veneratur, formas autem ſubſtantiales & qualitates proſcribit: niſi graviſſimum cervici fuiſſet metuendum onus, pari ingenii præcocitate Animam etiam noſtram eludere potuiſſet, ſimili rationum pondere ſeductus. Sed cum animam viventem brutis expreſsè ſcriptura tribuat; utrumq; hominis & jumentorum

torum interitum eſſe aſſerat; interitus autem fit animæ rationalis à corpore ſeparatione, malo ſcripturæ, quàm Democrito vacivas præbere aures, omniumq; Philoſophorum formas non brutis tantùm, ſed & vegetabilibus, & perfectè mixtis reliquis, ut & ſimplicibus corporibus dicantium calculo ſubſcribere. Sic ſine dubio meum de CARTESIO judicium tuo, quod pauciſſimis indicaſti, erit conforme. Plempius in fundam. Medicin. aliquot in Academia Lovanienſi Virorum de Philoſophia Carteſiana congeſſit judicia, & quod Plempius ipſe tulit, meo (ſi aliquid edicere mihi licet) judicio ſanum eſt.

JUDICIUM
VIRI
Nobilis, Ampliſſimi, & Excellentiſſimi, Domini
JOHANNIS WEISSII,
Profeſſoris Philoſophi limatiſſimi in Incluta Academia Giſſenâ.

VIR

VIR EXCELLENTISSIME,

Præceptor & Evergeta, filiali & amoris & honoris cultu ævi- ternùm colende,

ERubeſco ſanè, cùm ex eo tempore, quô inclutam Academiam Giſſenam reliquimus, tot præteriiſſe dies reputo, nec ullum tamen eſſe, quem tibi, Vir Excellentiſſime, per qualiaqualia literarum libamina, pro debito in Te cultu meo, ſacrum deſtinaſſem. At verò dum retrolapſum jam intervallum repeto, & ſtudiorum meorum ritè hactenus diſponendorum rationem perpendo, meq; ipſum imminenti Actui Magiſteriali, quem egregius viginti quinq; Candidatorum numerus ſplendidiſſimum pollicetur, præparandum aſpicio, ac inſuper internunciorum & raritatem & caritatem addo, evaneſcit ferè rubor, ſperoq; fore, ut intermiſſa officia juſtam apud Tuam Excellentiam inveniant excuſationem. Detinetur aliquot jam dies apud nos tabellarius quidam Bingingenſis, à Comite Hombergenſi ad ſpectatiſſimam noſtram

Facul-

Facultatem Juridicam in cauſa,ut arbitror, criminali miſſus, qui cùm quietum quidem, aſt propter appropinquantem cum ſuo Exercitu Ducem de Tourenne, à timore bellico non planè immunem ſtatum Wetteraviæ & nonnullorum locorum in inferiore Haſſia enarraſſet, atq; aſſeveraſſet, quotidiè eſſe, qui Bingingâ breve iſtud trium milliarium iter facerent Giſſam, non potui, quin ipſi aliquid literarum ad T. Excell. darem, & inprimis de ſalute, ſanitate, omniq; proſperitate dilectiſſimæ familiæ Weiſſianæ certus, explorarem, quænam ſit Tuæ Excell. mens de Philoſophia Carteſiana. Novit enim Excell. Tua, quam induſtriam in perquirendis Carteſii omniumq; Carteſianorum & Propugnatorum & Oppugnatorum ſcriptis adhibere ſolitus fuerim & adhuc ſoleam, quam delectationem ex communicata illa mihi epiſtola D. J. C. Frommanni, D. Med. Coburg. data ad Excell. D. Laur. Strauſſium, Med. pariter Doct. Patronum meum adhuc ſanctè venerandum, hauſerim, quam-

quamque cupiditatem in perlegenda Diſquiſitione Metaphyſica Petri Gaſſendi, (cujus ſtupendum opus quòd luſtrare copia data fuerit, tuæ curæ acceptum refero) tunc quidem foverim. Quoniam igitur in eo ſum occupatus, ut ſuccinctam quandam Hiſtoriam Carteſianæ Philoſophiæ, pro ingenii mei exiguitate, adornarem, & tot volumina, plurimam partem in Batavia vel in Hollandia typis excuſa, adeòq; non cuivis inGermania aut ob rigorem pretii, aut ob omnimodam carentiam, parabilia, in compendium redigerem, expecto ſincerumTuæ Excell.judicium de iſta Philoſophia, &, ſi fieri poteſt, ipſius celeberrimi Dn.D.PETRI Haberkorns / quod ut proximâ occaſione transmittatur, eſt quod à Tua Excell. obnixè atque officiosè oro & obſecro. Vale, Vir excellentiſſime, meamque perſonam ulterius tibi commendatam habe. Tubingæ d. 11. Jul. an. 1673.

TUÆ EXCELL.

devotus Cultor

Johannes Tepelius, Stip.

March. Bar. Brand.

Per-

Pereximie & Eruditiſſime Domine

TEPELI,

Fautor & Amice ſincerè colende, ſingulariter amande,

-- -- -- CArteſii Philoſophiam quod concernit, illa quidem ſimpliciter rejicienda non eſt (α) *vel ob ipſum Autorem:* qui ſane, quanquam aliquibus planè ſordeat, ſubtilis ingenii fuit, ceu cum primis ſtudia ejus Mathematica luculenter teſtantur, in quibus (L. Golio teſte, veterum omnium & recentiorum ingenia ſubvertit, ut adeò hîc obtineat illud B. Dn. D. Winckelmanni de hæreticis ſeductoribus effatum : Deß Teufels Dreck-Führer müſſen ſtarcke Beine haben. (β) *Vel ob novitatis, quàm præ ſe fert, faciem:* quis enim non horret ſervilem illam ſuperſtitionem, quæ antiqua omnia tanquam oracula adorat, nova verò ſine omni diſcrimine rejicit. Vide tamen judicium judicioſiſſimi veſtri OSIANDRI de vanitate novaturientis ingenii Carteſiani. Exerc. V. de

de notitia DEI nat. §. 27. p. 102. (γ) *Vel ob crimen, quod Carteſio imputatur, Atheiſmi*, quemadmodum quidam Carteſium calcem & lateres potiùs ad Atheiſmi muros erigendos, quàm ſubvertendos ſuâ de dubitatione hypotheſi ſubminiſtrâſſe opinantur: transeat enim, quod Claubergius ait, Carteſium in quæſtione de Exiſtentia Dei dubia moventem, modum potiùs docendi reſpexiſſe, quàm objectum ipſum, ſicut & in Epiſtola ad Voëtium ipſe Carteſius ſe explicat. Videſis tamen iterum Dn. D. OSIANDRI l. c. §. 24. p. 100.

Nihilominùs, quoniam ante omnia in Chriſtianis Scholis & allaboratum eſt, ut juventus ſtudioſa commodâ & proximâ viâ ad ſcopum præfixum pertingat: atq; hinc ſtudium Philoſophicum ita pertractari debet, ne illi ætatis flores, principaliori autem ſtudio feces tantùm conſecrentur: & verò negari haut poteſt, quod Methodus tractandi (non dicam de reipſa) Philoſophorum Peripateticorum ſeu Quaſi-Peripateticorum

corum longè facilior ſit & compendioſior, quàm Carteſianorum, utpote cum illa mediante plura fidelis Præceptor intra unius ſpacium anni homini mediocris ingenii inſtillare poſſit, quàm, ſi Carteſianę viæ inſiſtat, intra triennium. Hinc ejus ſum opinionis: Niſi poſthabito ſtudioſæ juventutis commodo in ſpeculatione nuda rerum ſubtilium acquieſcere, & tempus terere propoſitum ſit, quòd cum propter faciliorem modum & ordinem tractandi, tum ob res ipſas hactenus in Scholis Philoſophorum ſatis perſpicuè propoſitas, recepta Philoſophia è Scholis non ſit eliminanda, aut in locum ejus Carteſiana ſurroganda, ne ſtudia utiliora & maximè neceſſaria poſtponantur, & irreparabile tempus inutiliter conſumatur. — — — — Giſſæ d. 27. Jul. an. 1673.

Meines Lieb-werthen Herren
und Freundes

Dienſtbereitwilligſter
Johannes Weiſs,
Prof.

Hæc

Hæc judicia feruntur de Philoſophia Carteſiana, quorum adjectio mihi bona ideò viſa fuit, ut futurus naturæ cultor perſpicere poſſet, quid non tantùm viri clariſſimi, ſed etiam integræ Academiæ hac de materia ſenſerint. Optandum certè eſſet, ut ubique Doctorum mentes proſtarent, quibus, veluti facibus prælucentibus, juvenilis ardor conformatus, non ex ſpecioſa libertatis perſuaſione ſæpiùs debaccharetur in laſciviam. Hoc ſi obſervâſſet BENEDICTUS SPINOSA Judæus, JACOBI THOMASII, Profeſſoris Lipſienſis, judiciô, ob opinionum monſtra ἀποσυνάγωγος & blaſphemus homo, non tam infauſtum ingenii ſui partum reliquiſſet, nec, quod Dominus JOHANNES CONRADUS DŪRRIUS, Theologus Altdorfinus celebratiſſimus, Præceptor antehac fideliſſimus, demonſtrat, tam præpoſterè & impiè de libertate philoſophatus forſitan fuiſſet. Imprimis in hoc puncto ultimum judicium, quod

eſt

eſt JOHANNIS WEISSII, non ſpernendum eſſe arbitror, adeò ut ſi quid addere liceat, meum illud facere non verear.

DEO, NATURÆ AUTORI,
ſit laus, honor, & gloria.

A 01 1454304

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLI
Vitt